B. ISIDORI

EPISCOPI, THEOLOGI uetustissimi, de Natiuitate Domini, Passione, & Resurrectione, Regno atq; Iuditio, Libri duo.

Eiusdem Tractatulus, de uita & obitu quorũdam utriusq; Testamenti Sanctorum.

Item, Allegoriæ quædam, ex utroq; Testamento excerptæ, una cum libro Præmiorum.

Omnia hæc ex codicibus duobus antiquissimis sunt excerpta, hactenus prorsus a nemine uisa.

Haganoæ per Iohannem Secerium, Anno M. D. XXIX. Mense Martio.

INDEX

CAPITA LI-

BRI PRIMI.

QVIA Christus a Deo patre genitus est Cap. I.
Quia Christus ante secula ineffabiliter a patre genitus est II.
Quia Christus Deus & Dominus est III.
De Trinitate significantia IIII.
Quia Christus Dei Deus, homo factus est V.
De nomine Iesu VI.
Quia Christus ex semine Abrahæ secundū carnē genitus est VII.
Quia Christus de tribu Iuda ortus est VIII.
Quia de stirpe Dauid natus est IX.
Quia de uirgine sine uirili semine genitus est X.
Quia in Bethlehem natus est XI.
Quia stellæ inditio natiuitas eius enituit XII.
Quia ei munera obtulerunt Magi XIII.
Quia a Deo patre unctus est XIIII.
Quia humilis & pauper aduenit XV.
Quia signa & uirtutes fecit XVI.
Quia in corpore ab hominibus esset uidendus XVII.
Quia eum non erant agnituri Iudæi XVIII.
Quia eum non agnoscentes, congregati sunt aduersus eum XIX.
Quia uenundatus est XX.
Quia a Discipulo suo traditus est XXI.
Quia a semetipso tradendus esset XXII.
Quia tradendus esset XXIII.
Quia iudicandus erat XXIIII.
Quia a falsis testibus adcusandus esset XXV.
Quia clamauerunt Iudæi, ut crucifigeretur XXVI.
Quia etiam posteritatem suam damnauerūt, clamantes, Sanguis eius super nos, & super filios nostros. XXVII.
Quia palmis & flagellis cæsus est XXVIII.
Quia arundine caput eius percussum est XXIX.
Quia spinis coronatum est XXX.
Quia ueste coccinea indutus est XXXI.
Quia dum pateretur, tacuit XXXII.

Quia crucē

Quia crucem suam ipse portauit XXXIII.
Quia ligno crucis suspensus est atq; adfixus XXXIIII.
Quia in cruce manus eius ac pedes clauis adfixi sunt XXXV.
Quia inter duos latrones crucifixus est XXXVI.
Quia diuisa sunt uestimenta eius XXXVII.
Quia felle & aceto poratus est XXXVIII.
Quia hyssopo circundederũt spongiam aceto plenam XXXIX.
Quia titulus crucis eius corruptus non est XL.
Quia in cruce patrem pro inimicis suis deprecatus est XLI.
Quia non pro suis, sed nostris peccatis crucifixus est XLII.
Quia mortuus est XLIII.
Quia in passione eius tenebræ factæ sunt XLIIII.
Quia non fregerunt crura eius XLV.
Quia lancea latus eius percussum est XLVI.
Quia de latere eius sanguis & aqua manauit XLVII.
Quia sepultus est XLVIII.
Quia lapis ad ostium monumenti positus est XLIX.
Quia in infernum descendit L.
Quia descendens de morte, quos uoluit, liberauit LI.
Quia in morte corpus eius corruptionem non uidit LII.
Quia tertia die ab inferis resurrexit LIII.
Quia post resurrectionẽ Apostolos, prędicare gẽtibus, misit LIIII.
Quia in cœlum ascendit LV.
Quia sedet ad dexteram patris LVI.
Quia regnum eius in cœlo & in terra, & regnum ac perpetuum permanet LVII.
Quia post ascensionem suam, Spiritum sanctum super Apostolos misit LVIII.
Quia Apostoli Spiritu sancto repleti, linguis uniuersa locuti sunt LIX.
Quia ad iudicandum uenturus est LX.
Superdictio operis LXI.

CAPITA SECVNDI LIBRI

Quia omnes gentes ad Dei cultum uocentur Cap. I.

INDEX CAPITVM

Quia in Christo credere, cunctis gentibus iussum est II.
Quia & Iudæi & gentes sub Christi regimine uocentur III.
Quia ante gentes in Christo credere poterant, q̃ Iudæi IIII.
Quia in fine mundi credituri sunt Iudæi V.
Quia nunc plurimi Iudæorum in Christo nõ essent credituri VI.
Quia ob incredulitatem Iudæorum Christus Iudæam desereret, atq; transiret in gentibus VII.
Quia proiectis Iudæis, gentes introierunt VIII.
Quia propter peccatum, quod in Christo præuaricati sunt Iudæi debellati atq; dispersi IX.
Quia Hierusalem pro Christo subuersa est X.
De perpetua ruina Hierusalem XI.
Quia Iudæi iuxta spem suam nunquã reportabuntur xij.
Quia euacuato ueteri Testamento, nouum Testamentum iisdem daturus est Deus xiij.
De cessatione Sabbati xiiij.
De circuncisionis consumatione xv.
De sacrificiorum reprobatione xvi.
De æscis non obseruandis xvij.
Quia Testamentum uetus non solum propter Iudæos datum est, sed propter omnes gentes xviij.
Quia Testamentum uetus non solum historialiter, sed spiritualiter sentiendum est xix.
Quia Testamentum legis Iudæi non intellegunt xx.
Quia intelligere legem nõ possunt, nisi in Christo crediderint xxi.
Quia duo testamenta sunt tradita xxij
Quia baptismum in remissione peccatorum cunctis fuerat repromissum xxiij.
Quia Chrismate omnes sanctificarentur xxiiij.
Quia per signum crucis credentes saluarentur xv.
Quia Panis & Calicis sacramentũ futurum esse in holocausto xxvi.
Recapitulatio operis xxvij.

FINIS.

LIBER B. ISIDORI EPISCOPI, AD FLORENTINAM Sororem suam, de Natiuitate Domini, Passione, & Resurrectione, Regno, atq; Iudicio.

Sanctæ Sorori Florentinæ, Isidorus S.

QVædam, quæ diuersis temporibus, in Veteris Testamēti libris pronunciata sunt, de Natiuitate Domini & Saluatoris nostri, secundū deitatem, uel de Corporatione eius, de Passiōe quoq; & Morte, siue de Resurrectione, regno atq; iudicio, prouiribus scientiæ ex innumerabilibus, pauca proferenda putaui, ut Prophetarum auctoritas fidei gratiam firmet, & infidelium imperitiam adprobet. Hæc ergo, Sancta Soror, te petente, ob ædificationem tui studii, tibi dedicaui, ut qua consorte perfruor sanguinis, cohæredem faciam & mei laboris.

¶ Quia Christus à Deo patre genitus est. Cap. I.

IVdæi nefaria incredulitate, Christum Dei filium abnegantes, impii, duri cordes, Prophetis ueteribus increduli, nouis abstrusi, aduentum Christi malunt ignorare, quàm nosse, negare quàm credere: quem enim uenturum accipiūt, uenisse iam nolunt: quem resurrecturum legunt, resurrexisse non credunt. Sed ideo ista non intelligere se fingunt, quia sacrilegio suo hæc impleta, cognoscunt. Ad quorum repellendam perfidiam, quædam ex Veteri Testamento, adgregauimus testimonia, quibus

Christum genitũ ab omnipotente patre cognoscant. Ipso testante, Tecum principiũ in die uirtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te. Ex utero itaq; id est, ex illa intima, & incomprehensibili patris substantia: siue ex illo diuino, atq; immenso paterni pectoris arcano, quo pater genuit, de corde, bonum eructat uerbum: sicut & ipse alias ait, Eructauit cor meum uerbum bonum. Atque alibi ipse Pater sic dicit, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod non est dictum Dauid, neq; ulli sequentium regum. Nam ibi additur, Pete à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam, terminos terræ. Quod neq; Dauid, neq; genti Hebræorum concessum est, nisi tantummodo Christo, cuius nomen est per omnes gentes diffusum: cui & reges obediunt, & gentes seruiunt. Sicut & alibi de eo scriptum est, Adorabunt eum omnes reges terræ, & omnes gentes seruient ei. Item Salomon dum patris nomen mysteriumque natiuitatis Christi, secundum deitatem uellet agnoscere, his uerbis intonat in Prouerbiis, dicens, Quis ascendit in cœlum, atq; descendit? quis conligauit aquas, quasi in uestimento? quis suscitauit omnes terminos terræ? quod nomen est eius, aut quod nomen filii eius, si nosti? Hunc filium Dei in Danihelo, rex ille impius adspiciens, dixit, Ecce, uideo uiros quatuor solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti, similis filio Dei, quem fideliter credimus, nec nullatenus dubitamus, Dominum saluatorem. Sed obiicitur quod in Danihelo, iste filius Dei, superius etiam angelus dicitur, Adsentio. Nam & Christus filius Dei angelus dicitur. Sic enim ait Propheta de ipso, Veniet ad templum sanctum suum dominator, quem uos quæritis, angelus testamenti, quem uos desyderatis. Christus enim, in eo, quod à patre genitus est, filius Dei uocatur: in eo, quod sepe à patre missus ad adnunciandum patribus legitur, angelus nominatur. De quo etiam ipse pater, ad Legislatorem ita protestatur, dicens,

Ecce,

Ecce, ego mitto angelum meum, qui præcedat, & custodiat te in uia, & introducat ad locum, quem paraui: obserua eum, & audi uocem eius, ne contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueritis, & est nomen meum in illo. Quis est ergo iste angelus, cui Deus & potestatem suam dedit & nomen? Quod si dicitur, aliqua alia est potestas angelica, hoc nefas est credere, quis enim in nubibus æquabitur Domino, aut quis similis erit Deo, inter filios Dei? Qui enim non æquabitur natura, non potest æquari & nomine. Ipse est enim filius, qui semper à patre missus, uisibiliter apparebat hominibus. Ex ipsa ergo missione, recte angelus nuncupatur. Esaias autem apertius filium à Deo genitum confirmans, ita adnunciat, Vox Domini reddentis retributionem inimicis suis: ipsis uidelicet, qui non credunt, Iudæis. Antequàm parturiret, peperit: & antequàm ueuiret, partus eius peperit masculum. Quasi aperte diceret, Antequàm uirgo parturiret in carne, genuit filium pater diuinitate: & antequàm tempus uirginis parturiendi ueniret, genuit eum sine tempore pater. Vnde inferius ait, Quis audiuit unquàm tale, aut quis uidit huic simile? Reuera, quia nihil tale hominibus accidit, aut uspiam simile. Post hæc subiunxit, Nunquid, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? & qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus? Quibus omnibus testimoniis cogendus est infidelis, ut eligat sibi e duobus, aut Christum filium Dei credere, aut mendaces putare Prophetas, qui ista cecinerunt.

¶ Quia Christus ante sæcula ineffabiliter à patre genitus est. Cap. II.

QVod si quæritur, quando, uel quo modo pater filium genuerit. Respondeo, Quur quæritur tempus, quando sit Dei filius genitus, dum sit sua natiuitate æternus? Sicut scriptum est de eo, Egressus eius à principio, à diebus æternitatis. Et iterũ,

Ante solem permanet nomen eius, & ante lunam sedes eius. Sed & pater eundem ante luciferum, id est, ante omnia tempora genuisse testatur, quod & ipse filius Dei Verbum, uirtus & sapientia, de sua natiuitate confirmat, dicens, Nec dum erant abyssi, & ego iam concepta eram, nec dum fontes aquarum erupe rant, nec dum montes graui mole constiterant ante colles, ego parturiebar, adhuc terram non fecerat, & flumina & cardines orbis terræ: quando præparabat cœlos, aderam: quando certa lege gyro uallabat abyssos, quando appendebat fundamenta terræ, cũ eo eram, cuncta componens. Tali igitur auctoritate, ante omnia sæcula, filius à patre genitus esse declaratur, quando à patre per illum cuncta creata esse noscuntur. Illud denuo quæritur, quomodo idem sit genitus, dum sacræ natiuitatis eius arcana, nec Apostolus didicit, nec Propheta comperit, nec angelus sciuit, nec creatura cognouit. Esaia testante, qui dicit, In humilitate iudicium eius sublatum est, generationem eius quis enarrabit? Idcirco, si eius natiuitas à Propheta non potuit enarrari, quis profitebitur nosse, quomodo potuit à patre filius generari? Hinc est & illud in libro Iob, Sapientiam Dei patris unde inuenies? latet enim ab oculis hominum, & à uolucribus cœli absconsa est, id est, etiam ipsis angelis incognita. Item ibi, Radix sapientiæ cui reuelata est? origo scilicet filii Dei. Ideoq; quod etiam super angelorum intelligentiam atq; scientiam est: quis hominum potest narrare? Scire autem manifestum est, solum patrem, quomodo genuerit filium: & filius, quomodo genitus sit à patre. Siquidem & gignendi filii quæritur ratio, eo quod filius non nisi ex duobus nascatur. Habeat inquàm sibi huiusmodi generis ortum conditio caduca mortaliũ, Christus enim ex patre ita emicuit, ut splendor à lumine, ut uerbum ab ore, ut sapientia ex corde.

¶ Quia Christus Deus & Dominus est. Cap. III.

POst declaratum Christi diuinæ natiuitatis mysterium, deinde, quia idem Deus & Dominus est, exemplis sanctarum scripturarum

ſcripturarum adhibitis, demonſtremus. Si Chriſtus Deus non eſt, cui dicitur in Pſalmis, Sedes tua Deus in ſeculũ ſæculi, uirga æquitatis, uirga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatẽ, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis, Quis eſt igitur iſte Deus, unctus à Deo? Reſpondeãt nobis, Ecce Deus unctus à Deo dicitur, & utiq; Chriſtus ipſa unctione monſtratur, cum Deus unctus inſinuatur, Dum enim audis Deũ unctum, intellige Chriſtum. Chriſtus enim à chriſmate, id eſt, ab unctione uocatur. Hunc Chriſtum ſub perſona Cyri per Eſaiã pater Deum & Dominum, ita eſſe teſtatur, dicens, Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius adprehendi dexteram, ut ſubiiciam ante faciem eius Gentes, & dorſa regum uertam, & aperiã ante eum ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo. Portas æreas conteram, & uectes ferreos confringam. Et dabo tibi theſaurum abſconditum, & arcana ſecretorum, ut ſcias, quia ego Dominus, qui uoco nomen tuum Deus Iſraël. In perſona enim Cyri, Chriſtus eſt prophetatus, ubi ei ſubiugatæ ſunt Gentes in fide, & regna. Præterea, quia nullus in regno Iſraël Cyrus eſt dictus, quod ſi de Cyro Perſarum rege quis hæc crediderit, prophetatum, abſurdum & profanum eſſe cognoſcat, ut homo impi⁹, & Idololatriæ deditus, Chriſt⁹ & Deus & Dominus nũcupetur, unde & translatio Septuaginta nõ habet, Chriſto meo Cyro: ſed habet, Hæc dicit Domin⁹, Chriſto meo Domino. Quod in perſona ſpecialiter Chriſti Domini noſtri accipitur. Si Chriſtus Deus non eſt, dicant, quem ſit affatus Deus in Geneſi, cum diceret, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Sic enim ſubiungitur, Et creauit Deus hominẽ ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum. Quærant ergo, quis Deus creauit, aut ad cuius Dei imaginem condidit hominem, quem creauit? Quod ſi reſpondeant, Ad angelorum, num angelus æqualem cum Deo habet imaginem? Dum multum diſtet imago creaturæ, ab eo, qui creauit. Aut, nunquid an

gelus cum Deo potuit hominem facere? quod ita existimare, magnæ dementiæ est. Cui ergo dicitur, aut ad cuius imagi/nem conditus homo creditur, nisi ad eius, cuius una imago cum Deo est, & unicum nomen diuinitatis est? Item, si Chri/stus non est Dominus, quis Dominus pluit ignem in Sodo/mis à Domino? Sic enim ait in Genesi, Et pluit Dominus su per Sodomam & Gomorrham, sulphur & ignem à Domino. In qua sententia, nemo dubitat, secunda esse persona. Nam quis est ille Dominus à Domino, nisi proculdubio filius à pa/tre, qui semper ab eodem patre missus, descendere solitus est, & ascendere: quo testimonio & Deitas & distinctio personarum, patris, filiiq;, luce clarius, demonstratur. Item, si Christus Do minus non est, de quo dicit Dauid in Psalmis, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, Id est, qui dum Christus, se cundum carnem sit filius Dauid, in spiritu tamen, Dominus eius & Deus est. Si Christus Dominus non est, de quo ait Da/uid in libris Regum, Dixit uir, cui constitutum est de Christo Dei Iacob. Egregius Psalmista Israël, Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam. Item, si Christus Dominus non est, quis est ille Dominus exercituum, qui à Do/mino exercituum mittitur? ipso dicente in Zacharia, Hæc dicit Dominus Deus exercituum, post gloriam misit me ad Gentes, quæ expoliauerunt uos? qui enim tetigerit uos, tanget pupil/lam oculi eius. Quia, ecce leuabo manum meam super eos, & erunt præda his, qui seruiebant sibi, & cognoscetis, quia Do/minus exercituum misit me. Age nunc, cuius sit hæc uox, nisi Saluatoris, quia omnipotens Deus, à patre omnipotente mis/sum se esse testatur. Missus est autem ad Gentes post gloriam dei tatis, quam habuit apud patrem, quando exinaniuit seipsum, & formam serui accipiens, effectus est obediens usq; ad mortem. Quiq; etiã & in sequentibus loquitur, dicens, Lauda & lætare filia Sion: quia, ecce ego uenio, & habitabo in medio tui, dicit Do/

minus.

minus, & adplicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & scient, quia Dominus exercituum misit me ad te. Quis est igitur iste Dominus, à Domino exercituum missus, nisi idem Dominus Iesus Christus. Superest de Spiritusancto, de cuius deitate sic ait Iob, Et quia spiritus Dei est, Spiritus Domini fecit me, & spiraculum omnipotentis uiuificauit me, Ecce & me sicut et te fecit Deus, ut eundem spiritum ostenderet esse Deum.

¶ De Trinitate significantiæ. Cap. IIII.

PAtet Veteris Testamenti apicibus, patrem, & filium, & Spiritum sanctum, esse Deum. Sed hinc isti filium & spiritum sanctum non reputant esse Deum, eo quod in monte Sina, uocem Domini intonantis audierint, Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Ignorantes in Trinitate unum esse, Deum patrem, & filium, & Spiritumsanctum. Nec tres Deos, sed in tribus personis, unum nomen, indiuiduæ maiestatis. Quæramus ergo in scripturis Veteris Testamenti, eandem Trinitatem. In libro quippe primo Regum, ita scriptũ est, Dixit Dauid filius Isai, dixit uir, cui constitutum est de Christo Dei Iacob. Egregius Psalmista Israël, Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam. Quis autem esset, adiecit, Deus Israël mihi locutus est, fortis Israël, dominator hominũ iustus. Dicendo enim, Christum Dei Iacob, & filium & patrẽ ostendit. Item dicendo, Spiritus Domini locutus est per me, Sanctumspiritum euidenter aperuit. Idẽ quoq; in Psalmis, Verbo, inquit, Domini, cœli firmati sunt, Spiritu oris eius, omnis uirtus eorũ. In persona enim Domini, patrem accipimus: in Verbo, filium credimus: in spiritu oris eius, Sanctumspiritum intelligimus. Quo testimonio, & Trinitatis numerus, communio cooperationis ostenditur. Sic & in consequentibus, idem Propheta ait, Mittit Verbum suum, & liquefaciet ea, flauit spiritus eius, & fluent aquæ. Ecce tria, Pater qui mittit, & Verbum quod mittitur, Spiritus eius

qui flat. Nam & cũ dicitur in Genesi, In principio fecit Deus cœlum & terram, & spiritus Domini ferebatur super aquas. Christi ibi in, Domini, uocabulo, pater intelligitur. In principio filius agnoscitur, qui dicit, In capite libri scriptum est de me, ut faciam uoluntatem tuam, quia dixit Deus, & fecit Deus. In eo uero, qui super ferebatur aquis, Spiritussanctus significatur. Nam & cũ ibi dicit Deus, Faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinem nostram, per pluralitatem personarum, patens significatio Trinitatis est. Ibi tamen & unitatem Deitatis ostenderet, & confestim admonet, dicens, Fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. Et cum dicit idem Deus, Ecce, Adam factus est quasi unus ex nobis. Ipsa pluralitas personarum, Trinitatis demonstrat mysterium. Cuius Trinitatis sacramentum & Aggæus Propheta ita aperuit ex persona Domini, dicens, Spiritus meus erit in medio uestri. Ecce Deus qui loquitur, ecce spiritus eius. Post hæc de tertia persona, id est, de filio, ita subiecit, Quia, ecce ego commouebo cœlum & terram, & ueniet desyderatus cunctis gentibus. In Esaia quoq; sub propria cuiq; persona, distinctio Trinitatis, dicente eodẽ filio, ita ostenditur, Ego primus, ego nouissimus: manus quoq; mea fundauit terram, & dextera mea mensa est cœlos. Nõ à principio in abscondito locutus sum: ex tempore antequàm fieret, ibi eram. Et consequenter adiecit, Et nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius. Ecce duæ personæ, Dominus & Spiritus eius qui mittunt: & tertia persona eiusdem Domini, qui mittitur. Item alibi per eundem Prophetam, Trinitatis sic demonstratur significãtia, Ecce, inquit, puer meus, suscipiam eum: dilectus meus, cõplacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum. Pater filium dilectum puerũ uocat, super quem dedit spiritum suũ. De quo Dominus Iesus Christus propria persona testatur, Spiritus Domini super me. Alio quoq; loco idem Esaias, totam Trinitatẽ in digitorum numerũ comprehendens, sic prædicat, dicens, Quis mensus est pugillo

aquas,

aquas, cœlum palmo quis ponderauit? quis appendit tribus digitis molem terræ? In tribus quippe digitis Propheta, trinam diuinæ omnipotentiæ æqualitatem, sub quadam mysterii lance librauit, & parilitate uirtutis, cooperationem potentiæ, & unitatem substantiæ: quæ una, eademq; in Trinitate est, in tribus digitis declarauit. Cuius Trinitatis mysteriũ alias se cognouisse testatur idem Propheta dicendo, Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatũ. Quem ut trinum in personis ostenderet, & unum in diuinitate monstraret, sequenter ait, Et duabus alis uolabant, & clamabant alter ad alterũ, & dicebãt, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituũ, plena est omnis terra gloria eius. Ecce, trinam sanctificationem sub una confessione, cœlestis persultat exercitus: unam gloriam Trinitatis, Seraphim trina repetitione proclamant. Nã, quid ter sanctus indicat, nisi eiusdem trinæ omnipotentiæ gloria demonstrata est? in Deitate trium personarum significatio. Non autem sicut tres personæ, ita & tres Dii credendi sunt, sed in eis personis, una diuinitas prædicanda est, secundum Mosi sententiam, dicentis, Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Et iterum, Ego sum Deus, & præter me, non est alius.

¶ Quia Christus cum patre genitus est. Cap. V.

SEd contra, hic obiicit perniciosa Iudæorum perfidia, dicens, Si pater Deus est, & filius Deus est, ergo duo sunt, & non est unus Deus. Proinde, audiant Esaiam uerã personam uocantem Deum, & dicentẽ, Tu es Deus, & in te est Deus. In eo enim dum dicit, Tu es Deus, patrem ostendit: in eo uero quod subiecit, in te est Deus, filium declarauit. Sed tamen ut eundem patrem & filium, unum Deum ostenderet, subiecit, Non est abs te Deus, uere tu es Deus absconditus, Deus Israël. Alias quoq; unitum nomẽ patris & filii comprobatur, ipso patre, atq; Legislatore Mose dicente, Attende illi, & ne inobediens fueris ei, est enim nomen meum in illo.

¶ Quia Christus filius Dei Deus, homo factus est. Cap. VI.

HVcusq; mysterium cœlestis natiuitatis in Christo, ac significantiam diuinæ Trinitatis ostendimus, dehinc Scripturæ authoritate, eundem filium Dei, natum in carne, monstremus. Manifestantes primum, quia idem filius Dei, propter nostram salutem incarnatus, & homo factus est. Sic enim de eo prædicat Esaias, Paruulus, inquit, natus est nobis, filius datus est nobis, & factus est principatus eius super humeros eius, & uocabitur nomen eius admirabilis consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis: multiplicabitur eius imperium, & pacis eius non erit finis. Paruulus enim Christus, quia homo, & natus nobis, non sibi. Quod enim homo factus est, nobis proficit, & ideo nobis natus est. Filius autem datus est nobis: cuius, nisi Dei filius? Principatus super humeros eius: siue, quia crucem propriis humeris ipse portauit: siue. quia titulum regni super humeros & caput eius, Pilatus scripsit. Erubescant itaq; impii Iudæi, & agnoscant inuocare Christũ filiũ Dei natum, & per adsumptionem corporis paruulum factum: de quo Dauid ait, Minuisti eum paulo minus ab Angelis. Ideo, quia dum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Ad quem, cum pater in Psalmis, de illa æterna natiuitate diceret, Ex utero ante Luciferum genui te. Rursum futuram eius incarnationem item ostendens subiecit, dicens, Et quasi de uulua orietur tibi ros adulescentiæ tuæ. Hanc corporationem filii Dei, & Spiritussanctus in Psalmis, ita prænunciauit, dicens, ad Sion autem dicitur, Et uir natus est in ea, & ipse fundauit eam excelsus. Ecce, qui nascitur in Sion, & qui in ipsa ciuitate factus est humilimus, ipse est qui fundauit eam excelsus. Et quia idem est DOMINVS, sequitur, DOMINVS numerauit scribens populis, iste natus est ibi. Quis est iste uir, scilicet, & excelsus & DOMINVS. Vir, quia homo factus: excelsus, quia eum supra se cœli & angeli suscipiunt; DOMINVS, quia

cunctæ

cunctæ, cœli, terræq, creaturæ illi deseruiunt. Verũ, quoties inimici Christi omnem hanc prophetiam natiuitatis eius audiunt, conclusi dum non habeant quod proponant, argumentantur, dicentes, Nec dum uenisse Christum, de quo hæc omnia ora Prophetarum præsagia cecinerunt, Quæramus ergo tempus natiuitatis Christi: utrum iam aduenerit, an uenturus adhuc expectetur. In Danihelo igitur tempus aduentus eius certissime ostenditur, & anni enumerantur, & manifesta signa eius pronunciantur. Et post aduentum eius & mortem, futura Iudæorum excidia, ibi certissime manifestantur. Sic enim ad eum angelus, Danihel, aduerte sermonem, & intellige uisionem, Septuaginta hebdomadæ adbreuiatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleantur iniquitates, & adducatur iustitia sempiterna, & impleãtur uisio & Prophetiæ, & unguatur Sanctus sanctorum. Quæ scilicet septuaginta hebdomadæ, si à tempore Danihelis enumerentur, proculdubio Sanctus sanctorum, DOMINVS IHESVS Christus, olim uenisse cognoscitur. Hebdomadæ namque in sacris eloquiis, septem annis terminantur, dicente DOMINO ad Mosen, Numerabis tibi septem hebdomadas annorũ, id est, septies septem, qui simul faciunt annos quadraginta nouem. A tempore itaque Danihelis Prophetæ, usque ad præsens tempus, plusquàm centum quadraginta hebdomadæ adnumerantur. Ideoque iam uenit Christus, quem adnunciabit sermo propheticus. Post septuaginta enim hebdomadas, natus & passus ostenditur Christus. Et ciuitatem Hierusalem in exterminatione fuisse, & sacrificium unctionemq cessare. Sic enim subiecit idem Propheta, Et occidetur Christus, & ciuitatem & Sanctuarium dissipabit populus cũ duce uenturo, & finis eius uastitas, & post finem belli, statuta desolatio. Post passionem igitur Christi, uenit Titus, & debellauit Iudæos, & destruxit urbem & templũ, & cessauerunt libamina & sacrificia,

quæ ultra illuc celebrari non potuerunt: ut impleretur quod fuerat antea à Propheta prædictum. Sed duritia cordis Iudaici, quia ipsi Christum interemerunt, inde eum adhuc uenisse nõ credunt. Probauimus Dominum nostrum Iesum Christum secundum carnem iam natũ fuisse. Sed adiecit incredulus, Cur in carne uenit? Audi ergo caussam, Deus cum hominem fecisset, summa beatitudine præditum, & diuinæ imaginis decore ornatum, posuit eũ in paradiso, ut esset Deo subiectus, & cæteris creaturis prælatus: ille autem rebellis effectus, contempta diuinitate, interdictum uiolauit præceptum, quem proiectum ob superbiam, Deus non occidit, sed exulem paradiso fecit. Expectans, ut per pœnitẽtiam reparari possit ad ueniam: & cũ ille nõ reuocaretur ad uiam uirtutis, dedit legem per Mosen, ut uel per ipsam reuerteretur ad amorem Dei, & operationem iustitiæ. Sed cum nec hanc quidẽ, cõtumax & incredulus custodiret, uenit tandem filius Dei, & corpus humanũ adsumpsit: ut dũ uideretur, crederetur: omissisq; nudis dæmonũ simulacris, reconciliaretur gratiæ conditoris. Hæc est caussa natiuitatis Christi, quẽ Iudæi, & si patiantur natũ, scandalizantur tamen crucifixum & mortuum, non intelligentes, quia sicut propter redemptionẽ mũdi uoluit nasci, ita & pati oportuit: cuius passionem & mortem, in suo loco scripturarum testimonio adprobabimus. Hinc uero sequamur debitum ordinem, & cuius demonstrata est post gloriam deitatis humana natiuitas, demonstretur genus & patria.

¶ De ineffabili nomine Iesu. Cap. VII.

PRima enim adpellatio nominis Iesu, inuenitur in figura Domini nostri Iesu Christi, antea prædicata. Nam Iosue quidã, qui Naue filius nominabatur, à Mose Iesus cognominabatur: hic enim post obitum Mosi, dux effectus, principatum obtinuit, & terram promissionis hæreditate distribuit. Mutatio nominis quid significabat, nisi quia defuncto Mose, id est, defuncta lege, & legali præcepto cessante, dux nobis Dominus Iesus Christus erat futurus, qui nos per Iordanis fluenta, id est, per gratiam baptismi

ptiſmi ſanctificatos, & omnibus uitiorum generibus expulſis, uel angelorum malorum hoſtibus effugatis, perduceret ad terram repromiſſionis, melle & lacte mananté, id eſt, uitæ æternæ poſſeſſionem, qua nihil dulcius. Ideo enim uir ille, huius ſacramẽti imaginem ſuſcepit, ut Ieſus nominaretur, ad ſignificandum illum uerũ Ieſum, de quo in Pſalmis ſcriptũ eſt, Venite exultemus in Domino, iubilemus Deo ſalutari Ieſu patre noſtro. Vbi oſtenditur, Dominũ eſſe Ieſum. De quo & alibi in Pſalmis, Quia placet ſibi Dominus in populo ſuo, & exaltauit manſuetos in Ieſu. Hoc enim in Hebræo ſic habetur ſcriptum.

¶ Quod autem ex ſemine Abrahæ, futurus eſſet Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Cap. VIII.

GEneſis oſtendit, dicente Abraham ad puerum ſuum, Pone manum ſub femore meo, & iura per Deum cœli. Quo uerbo, Chriſtum Dominum cœli, de genere ſuo teſtabatur in carne eſſe uenturum. Per femur enim genus intelligitur. Significabatur enim de ſemine Abrahæ, futurum in carne Dominum cœli. De quo ſemine, per Eſaiam facta fuerat à Domino repromiſſio, In ſemine, inquit, tuo, benedicentur omnes gentes, id eſt, in Chriſto. De quo Pſalmiſta ait, Et benedicentur in eo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum. De hoc ſemine & per eundem Eſaiam, uox Domini loquitur, Educam, inquit, de Iacob ſemen, & de Iuda poſſidentem montes meos. De quo alibi idem Propheta, Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles facti eſſemus.

¶ Et quia de tribu Iuda ſecundum carnem, Chriſtus expectandus eſſet. Cap. IX.

IAcob Patriarcha ſignificat, dicens, Non deficiet princeps ex Iuda, nec dux de femoribus eius, donec ueniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium. Certum eſt enim, uſq; ad ortum Chriſti, non defuiſſe principes populi Iudæorum ex genere Iuda, nec duces de femoribus eius, uſq; ad Herodem alienigenæ

regem, qui per ambitionem, regni inrepserat potestatem. Statim enim in hoc factũ est, & defecit dux ex semine Iudæ, aduenit ille, qui mittendus erat, quem Gentes & populi expectabant. Iudæi autem peruicatia impudicæ frontis dicunt: nondum esse id tempus expletum, mentientes: nescio quem regem ex genere Iudæ, in extremis orientis partibus regnum tenere. Nec attendunt mente cæcati simulationis suæ mendacium detegi: quia, iam sicut nullum templum, nullum altare, nullum sacrificium, ita nullus rex, nullus sacerdos remansit Iudæis. Neq; enim mendax esse potest Oseas Propheta, qui dicit, Sedebunt filii Israël sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altare, sine sacerdotio, sine manifestationibus: quæ omnia, quis non uideat nunc in ipsis esse completa?

¶ Quia Christus de stirpe Dauid natus est. Cap. X.

ECce, ex qua tribu nasciturus esset Christus, docemur. Ex Dauid autem stirpe secundum carnem futurus esset, per Spiritum sanctum ita prænunciatus est in Psalmis, Iurauit DOMINVS Dauid ueritatem, & non frustrabitur eam. De fructu uentris tui, ponam super sedem meam. Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit, & thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta, in æternum manebit, & testis in cœlo fidelis. Item in libro Paralipomenon. Et factum est uerbum DOMINI ad Nathan, dicens, Vade, & dic seruo meo Dauid, Hæc dicit DOMINVS, adnuncio tibi, quod ædificaturus sit tibi domum DOMINVS, cunq; impleberis dies tuos, ut uadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, & stabiliam regnum eius, ipse ædificabit mihi domum, & firmabo solium eius usq; in æternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium. Et misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo, qui ante te fuit. Et statuam eum in domo mea, & in regno meo, usq; in sempiternum, & thronus eius erit firmissimus in perpetuum. Hæc omnia

quisquis

quisquis in Salomone putat fuisse impleta, multũ errare uidetur. Nam qualiter in Salomone intelligendum est quod dictum est, Postquàm dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuũ post te, quod erit de filiis tuis, & stabiliã regnũ illius. Nunquid de illo Salomone creditur esse prophetatũ? Minime. Ille enim, patre suo uiuente, cœpit regnare. Nam hic dicitur, Quia cum completi fuerint dies uitæ tuæ, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum. Ex quo intelligitur, alius esse promissus, qui non ante mortem Dauid, sed post mortem eius pronunciatus fuerat suscitandus, qui ædificaret domum DOMINI: non de parietibus manufactis, sed de lapidibus uiuis & preciosis, id est, sanctis & fidelibus. Nam & illud quod subiecit, Fidelis erit domus eius, & regnum eius usq; in sempiternum coram me. Attendat & adspiciat quisquàm, non de Salomone esse pronunciatũ, Salomon quippe domum plenam fuisse mulieribus alienigenis colentibus Idola, & ipse ab eis rex Idololatriæ seductus atq; deiectus: quidum bonus fuisset in initio, malos exitus habuit. Ergo, quis est iste, cuius domus est fidelis in perpetuũ, & qui post mortem Dauid promittitur suscitandus? Ille utiq; est, de quo ipse Dauid exæstuans clamat, dicens in Psalmo octogesimooctauo, Tu uero distulisti Christum tuum. Non est ergo ille Salomon, sed nec iste Dauid, sed dilatus est Christus. Ecce apparuerunt promissiones prædictæ, non in Salomone, sed in Christo Domino nostro, qui ex Dauid genere ortus est, fuisse completas. De quo ipse per Hieremiam DOMINVS dicit, Et suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis, saluabitur Iuda, & Israël habitabit confidenter: & hoc est nomen, quod uocabunt eum DOMINVS iustus noster. Adhuc idem Esaias de Christo, quia ex semine Dauid natus est secundũ carnem, in consequentibus, dicit, In die illa, radix Iesse, qui stat in signum populorũ, ipsum Gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum. In signum populorũ stat radix Iesse, quando Christus signaculum crucis exprimit in frontibus

eorum. Ipsum Gentes deprecabuntur, quod iam hoc cernitur fuisse completum. Sepulchrum autem eius, in tantum est gloriosum, ut excepto quod redempti per mortē eius gloriam ei exhibemus, etiam locus ipse corruscans miraculis gloriæ suæ caussa, ad se omnē cōtrahat mundū. Hic locus in Hebræo sic habet, Et erit requies eius gloriosa: utiq; quia moriens, caro eius non uidit corruptionem, secundum Psalmi sententiam, Quia nō derelicta est anima eius in inferno: nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Iste est, qui per Nathan ex semine Dauid promittitur, qui etiam & per Esaiam Prophetam ita pronunciatur, Egredietur, inquit, uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Hæc uirga de radice Iesse, uirgo est Maria, de Dauid radice exorta, quæ genuit florem, Dominum Saluatorem. De quo etiam sequitur, Et requiescit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, repleuit eum spiritus timoris Domini. Ideo autem tanta dona spiritus super eum prædicantur, quia in eo non ad mensuram spiritus inhabitat sanctus, sicut in nobis, sed tota inest plenitudo diuinitatis & gratiarum. Iste est, qui non secundum uisionem oculorum, & auditum aurium iudicat, sed est iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. In cuius ecclesia, habitat lupus cum agno: ille utiq; qui solebat ab ea rapere prædam, dum ad eam conuertitur, quasi cum innocentibus commoretur. In cuius ouile, pardus cū hœdo accubat permixti, scilicet, subdoli cum peccatoribus: ibi etiam uitulus de circumcisione, leo de seculi potestate, ouis de populari ordine, simul morantur, quia in fide communis est conditio omnium. Puer autem paruulus minans eos, ille est utiq; qui se humiliauit pro nobis ut paruulus. Bos autem & leo ibi comedent paleas, quia principes cum subiectis plebibus communem habent doctrinam. Delectatur quoq; infans ab ubere super foramine aspidis, dum Gentes, quæ solebant uenena aliquando prædicare: conuersi, etiam paruuli Christi fidem delectantur audire. Cauerna enim Reguli,

corda

corda sunt infidelium, in quibus ille serpens tortuosus requiescebat, quem ablactatus comprehensum, exinde captiuum traxit, ut in monte sancto eius, quod est ecclesia, non noceret. Iam uero, quia ore prophetico, de Moab nascenti Christo, perhibetur testimonium. Idem Esaias testatur, Ponam enim super his, qui fugerint de Moab leonem & reliquis terræ, emitte agnum dominatorem terræ, de petra deserti, ad montem filiæ Sion. De hac enim gente Moabitarum, egressus est agnus immaculatus, qui tollit peccata mundi, qui dominatur in orbem terrarum. Petra autem deserti, Ruth significat, quæ destituta morte mariti, de Booz genuit Obeth: & de Obeth, Iesse: & de Iesse, Dauid: & de Dauid stirpe, natus est Christus. Montem autem filiæ Sion, aut historialiter, ipsam urbem Hierosolymam dicit, aut iuxta tropologiam, ecclesiam in specula, id est, in uirtutum sublimitate locatam.

¶ Quia Christus de uirgine, sine uirili coitu genitus est. Cap. XI.

HActenus de nomine & gēte & genere Domini nostri HIESV Christi, Testamenti ueteris, fidem præstrinximus, Dehinc generationē eius, secundum carnem, de uirgine, ostendamus. Esaias enim Sanctospiritu plenus, futuræ incarnationis filii Dei, sic prænunciat sacramentum, sic enim dicit: & adiecit Loquitur ad Achaz Dominus, dicēs, Pete tibi signū à Domino Deo tuo, in profundum inferni, siue in excelsum supra. Et subiecit, Audite itaq; domus Dauid, id est, genus Dauid. Nam bene ad domum Dauid loquebatur, id est, ad stirpem regiam, de qua descendit Maria: & adiecit, Propter hoc dabit uobis Dominus ipse signum, Ecce uirgo in utero concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus. Quia ergo ille, quem in utero uirgo concepit & peperit, nobiscū Deus uocatur. Deus itaq; in utero uirginis conceptus, natusq; cognoscitur. Erubescant itaq; Iudæi increduli, & Christi gratiæ, sua colla submittant. Ecce enim, quem uirgo peperit, nobiscum Deus appellatur. Quo loco argumentantur Iudæi, quod in

Hebræo, non uirginem, sed iuuenculam ostendat sermo prophe ticus parituram. Aduersus quos respondetur, non esse signum, si iuuencula pariat, quod est ætatis. Sed hoc esse signum, ad rei no uitatem, si uirgo pariat, quod est integritatis. Dum enim dicit Dominus, Dabo uobis signum, insinuat quoddam insigne mira culum, uirginem uidelicet parituram: quod proculdubio signũ non esset, nisi nouum extiterit. Oportebat enim Christũ propter insigne miraculum, secundum carnem nasci de uirgine. Sequi tur de eo. Butyrum & mel (fructus est ecclesiæ, uenientis ex circun cisione) comedet. Butyrum, quasi bouis sub iugo, id est, sub le ge posita. Mel uero, ecclesia, uenientis ex gentibus, cuius fructu, id est, opere, pascitur Christus. Sequitur & dicit, Et priusquàm cognoscat puer uocare patrem aut matrem. Quod enim dixit, pri usquàm cognoscat, id est, priusquàm cognoscere faciat diuini tate DEVM habere se patrem, & carnis susceptione, uirginem matrem: iuxta illud quod in Genesi scribitur, dicente Domino ad Abraham, Nunc cognoui, quod times DEVM, id est, nunc cognoscere feci. Absit enim apud DEVM esse ignoran tiam, ut nunc cognosceret, quod ante nesciret. Quantæ autẽ po testatis existat idem Emanuhel, prædictus propheta sequenter ad nunciat, dicens; Et erit extensio alarum eius, implens latitudinẽ terræ. O Emanuhel: quem, quia de uirgine natum credimus, patrem in Psalmis dicentem audiamus. Nam cum dixisset Pro pheta de Christo, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Confestim uox patris consecuta est, dicentis ad filium, An te Luciferum genui te, Et quasi de uulua orietur tibi ros adulescẽ tiæ tuæ. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum, secundũ ordinem Melchisedec, Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges. Et Dauid, Vt inhabitet, in quit, gloria in terra nostra, misericordia & ueritas occurrerunt si bi, iustitia & pax complexæ sunt se. Veritas de terra orta est, & iu stitia de cœlo prospexit. Quæ est ueritas de terra orta, nisi Chri stus de femina natus, filius Dei de carne procedens? nam caro

terra est.

terra est. Quãdo enim natus est Christus, iustitia de cœlo prospexit. Nõ enim daretur e cœlo iustificatio, nisi Christus in carne nascereturr. Et ut ostenderet, quod ipsa ueritas, de terra orta, homo esset, sequenter adiunxit, Iustitia ante eum præibit, & ponet in uia gressus suos. Item idem Dauid, Terra, inquit, dabit fructum suum. Terra Maria, dedit fructum suum Christũ. Sed quis est iste fructus? Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. Hunc terræ fructum, prædictus Esaias Propheta alibi manifestius adnunciat, dicens, Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorem. Et iustitia oriatur simul, ego Dominus creaui eum. Cœli ipsi, qui & nubes, id est, Prophetæ, per quos Christus adueniens, prophetabatur. Terra, Maria, quæ fide aperta, non corruptione, genuit saluatorem, quia solus Dominus eum creauit, nõ uirilis commixtio seminis. Vnde & Esaias ait, Generationem eius quis enarrabit? Nullus enim hominum natiuitatis Christi in conceptu conscius fuit. Solo enim Verbo Dei, uirgo prægnans apparuit. Quod etiã & Danihel Propheta figuraliter prædixerat, dicens, Vidi lapidem de monte abscisum, sine manibus præcidentium: & cum uenisset in terram, repleuit orbem terræ. Ecce, lapis iste, Christus est, sine manibus abscisus, implens omnem terram, quia in omnibus Gentibus, regnum eius est. De quo lapide, per Esaiam Deus loquitur, Ecce; mitto in fundamẽtis Sion lapidem pretiosum, electum, angularem, & qui crediderit in eum, non confundetur, Hunc enim uidit Danihel abstisum de monte, id est, de populo Iudæorum. Sine manibus, hoc est, sine operatione uirili, ex Maria natum. Quam sine dubio uirginẽ fuisse credimus, ante partum: uirginem permansisse post partum, Ezechielo Propheta testante, Conuerti me ad uiam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad orientẽ, & erat clausa. Et dixit Dñs ad me, Porta hæc clausa erit, nõ aperietur: & uir non transiet per eã, quoniã Dominus Deus ingressurus est per eã, eritq; clausa. Quo testimonio, sanctã Mariã & uirginẽ cõcepisse & permansisse cõfitetur. Genitalia

nanq; feminea, pro eo quod clauſtra partus aperiunt, portæ dicuntur. Sicut ait Iob, Quia non clauſit portas uentris, qui portauit me. Dominus enim noſter HIESVS Chriſtus, mirabiliter & potentialiter natus, tanquàm ſponſus proceſſit de thalamo ſuo, id eſt, ex uirginis utero. Poſt cuius ortum, nullum cum Maria conueniſſe, nullum ex eius utero genitum extitiſſe.

¶ Quia in Bethlehem natus eſt Chriſtus. Cap. XII.

PRædiximus natiuitatem Domini noſtri ex uirgine, locum quoq; originis ſuæ, oſtendamus. Nam in Bethlehem natus eſt: ad quam dicitur per Micheam Prophetam, Et tu Bethlehem domus eufratha, paruulus es in milibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël, & egreſſus eius à diebus æternitatis. Propter hoc dabit eos uſq; ad tempus, in quo parturiẽs pariet. Sicq; poſtquàm locum originis eius prædixit, deinde regnũ eius futurum in toto orbe ſubiecit, dicens, Stabit & uidebit, & paſcet gregem ſuum in uirtute Domini, & in honorem nominis Dei ſui erunt, quoniam nunc magnificatur uſq; ad terminos terræ, & erit iſte pax. De hoc loco natiuitatis Chriſti, & Abacuc Propheta ſic ait, Deus ab Africo ueniet, Bethlehem enim regio, ubi natus eſt Chriſtus, de Hieruſalẽ ad meridianam reſpicit plagam. Merito ergo ab Africo ueniſſe ſcribitur, quia à Bethlehem uenturus eſſe præuidebatur.

¶ Quia ſtellæ inditio, natiuitas eius claruit. Cap. XIII.

IN Numeris diuinus ille Balaam ſic cecinit, dicens, Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget homo de Iſraël. Magi enim ab orientis partibus uenientes, primi Chriſti natiuitatem, ſtella indice, nunciauerunt. Scilicet, ut quem olim princeps artis eorum prædixerat, illi inſpecto ſydere demonſtrarent.

¶ Quia ei munera obtulerunt Magi. Cap. XIIII.

ET hoc Prophetæ nobis narrant. Sic enim Eſaias ait, In tempore illo, deferetur munus Domino exercituum, à populo diuulſo & dilacerato, à populo terribili, poſt quem non fuit alius.

Hoc

Hoc autem dicit, propter Persarum robustissimam gentem. Ad cuius tunc potentiam, nullus populus comparabatur: de quibus Magi uenientes, Christo munera detulerũt. Et iterum ipse, Omnes, inquit, de Saba uenient, aurum & thus deferentes, & laudẽ Domino adnunciantes. De his muneribus & Dauid prædicauit, dicens, Et dabitur ei de auro Arabiæ. Et rursus, Reges Tharsis & insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent. Nam & Magos reges habuit oriens.

¶ Quia non oleo isto humano, sicut cæteri reges & pontifices Hebræorum, sed à paterno spiritu unctus est Christus. Cap. XV.

ESaias ex persona eiusdem Christi sic canit, dicens, Spiritus Domini super me, propter quod unxit me: euangelizare pauperibus misit me, prædicare captiuis remissionem, & cæcis uisum. Simili modo & Psalmographus, diuino adflatus spiritu, ita ad eundem Christum loquitur, dicens, Sedes tua DEVS in seculum seculi, uirga æquitatis, uirga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatẽ, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, præ consortibus tuis. In qua sententia, primo Propheta diuinitatem Christi, ac perpetuitatem demonstrat, sequenter, pro æquitatis uirga, sceptrũ potestatis eius, regnũq; denunciat. Postremo, quod idem Deus, à Deo unctus sit, indicat. Non quidem oleo communi, sicut cæteri participes sui, id est, principes, qui imaginario præcesserãt, sed oleo lætitiæ. Quo mystice demonstratur Spiritussanctus, cuius cœlesti infusione & uirtute, Christus est consecratus.

¶ Quia pauper & abiectus in primo aduentu suo uenerit. Cap. XVI.

SAnctus Esaias sic indicat, dicens, Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus uenit tibi, iustus & saluans, pauper: sedens super asinum indomitum. Item apud eundem ex persona Dei patris. Ecce, intelliget seruus meus, exaltabitur & eleuabitur, & sublimis erit ualde. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorioſus erit inter

uiros aspectus eius, & forma inter filios hominum. Iste aspergeet gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum: quia, quibus non est nunciatum, de eo uidebunt: & qui non audierunt, contemplati sunt. Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est, & ascendet sicut uirgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Non est species ei neq; decor, & uidimus eum, & non erat adspectus, & desyderauimus eum despectum & nouissimum uirorum, uirum dolorum & sitientem, ferre infirmitatem, & quasi absconditus uultus eius & despectus. Vnde nec reputauimus eum: uere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem humiliatus est propter iniquitates nostras, & adtritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, unusquisque in uia sua declinauit, & Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrorum. Oblatus est, quia ipse uoluit, & non aperuit os suum. Sicut oues ad occisionem ducitur, & quasi agnus coram tondente, obmutescit, & non aperuit os suum. De angustia & de iudicio sublatus est: generationem eius quis enarrabit, quia abscisus est de terra uiuentium, propter scelus populi mei percussi eum, & dabit impios pro sepultura, & diuites pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius, & Dominus uoluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, uidebit semen longæuum, & uoluntas Domini in manu eius dirigetur: pro eo quod laborauit anima eius, uidebit & saturabitur. In scientia sua iustificauit ipse seruos meos multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in morte animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus orauit. In qua lectione, non solum, quia abiectus apparuit Christus, sed etiam ibi eius generatio cœlestis exprimitur, infirmitates quoque susce

ptæ carnis

ptæ carnis ei? manifestatur, cõtumelia quoq; passionis eius, crux, mors, sepultura ibi monstratur, & quod innocens dãnatur, & tacens ibi panditur. Deus enĩ suscipiens in carne pauperis formã, se humiliare dignatus est. Qua caussa, ut salus perditis redderetur, & iam usq; ad mortem obediens factus est, Esaia teste, Non clamabit, neq; audiet quis in plateis uocem eius, calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet, sed in ueritate profert iudicium, quo adusq; ponat in terra iudicium, & in nomine eius Gentes sperabunt. Et Hieremias, quod ueniret Deus in carne abiectus & humilis, ita prædixit, Domine, fac propter nomen tuũ, quia multæ sunt auersiones nostræ. Tibi enim peccauimus expectatio Israël, saluator eius in tempore tribulationis. Quare sicut colonus futurus est in terrã, & quasi uiator declinans ad manendum? quare futurus es quasi uir uagus, & fortis qui nõ potest saluari? Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum super nos inuocatum est, ne derelinquas nos. Dum enim dicit, tibi peccauimus, exprimit Iudæorum personam, qui in Deum peccauerunt, quando uenientem eum in forma hominis, crucifixerunt. Obtulit enim se adspectibus hominũ, tanquã m uagum hominem & inquilinum, illi autem putantes hoc tantum esse, quod uidebatur, occidunt hominem quasi qui non posset saluari.

¶ Quia signa & uirtutes fecit. Cap. XVII.

GEnera quoque & uirtutes curationum tanto ante præscripta sunt per Esaiam Prophetam dicentẽ, Ecce, inquit, Deus noster ipse ueniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum audient. Tunc saliet claudus quasi ceruus, & plana erit lingua mutorũ. Et iterũ, Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, ad adnunciandum mansuetis misit me, ut mederer contribulatos corde, prædicarem captiuis redemptionem, & cæcis uisum. Hæc enim omnia sanitatum signa, in aduentu Christi, facta sunt. Statim enim ut natus est, præcedente stella, adorauerunt, & Magi obtulerunt munera. Deinde uaria aduentus eius repræsentauit miracula. Cæcis enim, ut DEVM

cognoscerẽt, profundæ noctis caligo detergitur. Defunctis, redi uiuæ lucis gratia redditur, ut animæ uiuificarentur. Surdi, ut au ditum fidei susciperent, audire cœperunt. Claudi, ut ad DEVM currerent, incessu alacri uegetantur. Muti, ut DEVM confite rentur, claris uocibus clamauerunt. Leprosi, pro abolendis con tagiis animæ, lurida membra deposuerunt. Effectu enim maie statis suæ, multa fecit, quæ prætereunda non sunt, dum cuncta le gantur, nam excellentiæ suæ uirtutem pendulis gressibus tumen tis æquoris fluctus calcauit, & maris magni procellas, suo impe rio mitigauit. Iam uero passionis eius obitum, etiam elementa tremuerunt. Dum sol fugit, dum tellus concutitur, saxaq; sese in lidentia dissoluuntur: siquidem, & ipsa mors eum tenere non po tuit. Nam resurgens die tertia, ad sedem paternam reuolauit; ministeriisq; angelorum, reducitur à terris ad cœlum. Plura quo que & similia eius omnipotentia facta sunt. Sed dicit incredulus, quod & Prophetæ miracula multa fecerunt. Verum est: nullus ta men eorũ, ut Christus, mortuus resurrexit, & in cœlũ ascendit.

¶ Quia idem Deus in corpore, ab hominibus esset uidendus. Cap. XVIII.

PEr Esaiã testatur Dñs, dicens, Propter hoc sciet populꝰ meꝰ nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Et Dauid, Ambulabunt de uirtute in uirtutem, & uide bitur Deus Deorũ in Sion. Et iterum, Visi sunt gressus tui Deus, in gressus Dei mei regis. Vtiq; quibus uenit in mundum, & qui bus iterum ascendit in cœlum. Tunc enim manifestatus est, & reuelatus occultus aduentus eius. Quem Iudæi si cognouissent, nunquã Dominum gloriæ crucifixissent. De cuius etiam cor porali uisione, supra dictus Esaias, ita adnunciauit, Ingloriosus, inquit, erit inter uiros adspectus eius, & forma eius inter filios ho minum: quibus non est nunciatum, de eo uidebunt: & qui non audierũt, cõtemplati sunt. Et Hieremias in libro Baruch, Hic est Deus noster, & nõ æstimabitur alius ab eo, qui inuenit omnem uiam prudẽtiæ, & ostendit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo.

ſuo. Poſt hæc in terris uiſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Et Abaeuc, Domine, inquit, audiui auditum tuum, & timui, in medio duorum animalium cognoſceris: dum appropinquauerunt anni, innoteſceris: dum uenerit tempus, oſtenderis Item ipſe, Videbunt te Gentes, & dolebunt populi, id eſt, Iudæi. Siquidem & prædictus Eſaias de ipſo ſic cecinit, Propter Sion nõ tacebo, & propter Hieruſalem non quieſcam, donec egrediatur ut ſplendor iuſtus eius, & ſaluator eius, ut lampas accendatur, & uidebunt Gentes iuſtum tuum, & cuncti reges inclytum tuum. Et iterum, Vox ſpeculatorum tuorum leuauerunt uocem, ſimul laudabunt, quia oculo ad oculum uidebunt. Et infra, Parauit Dominus brachium ſanctum ſuum in conſpectu omnium Gentium, & uidebunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.

¶ Et quia eum non erant agnituri Iudæi. Cap. XIX.

SIc prædixerat Hieremias ex perſona Domini, Præuaricatione præuaricata eſt in me domus Iuda, ait Dominus. Negauerunt me & dixerunt: non eſt ipſe. Hoc etiam nunc uſq; Iudæi de Chriſto dicunt, non eſt ipſe: expectantes alium, qui eſt Antichriſtus. Et Eſaias, Non eſt ſpecies ei neq; decor: & uidimus eum, & non erat adſpectus, & deſyderauimus eum deſpectum & nouiſſimum uirorum, uirum dolorum, & ſcientem ferre infirmitatem: & quaſi abſconditus uultus eius & deſpectus, unde nec reputauimus eum. Quibus uerbis, incredulitatem Iudæorum ſignificat, & quibus uiſus eſt Chriſtus, non habere ſpeciem neq; decorem: unde, nec reputatus eſt eſſe Deus. Quem tamen, quia non eſſent agnituri, neq; recepturi, idem Eſaias alias adprobat, dicens, Audite cœli, & auribus percipe terra, quia Dominus locutus eſt: filios nutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Iſrael autem me non cognouit, populus autem meus me non intellexit, Et iterũ, Auditionem audietis, & non intelligetis: & cernentes uidebitis, & non ſcietis. Incraſſatum eſt enim cor populi huius: unde & Ezechiel, Factus eſt ſermo Domini ad me, dicens, Fili hominis

in medio domus exasperatis tu habitas: qui oculos habent ad uidendum & non uident, & aures ad audiendum, & non audient. Sic enim excæcati sunt, ut saluatorem nec agnoscerent, nec susciperent. Et cuius diem Abraham uidit, & lætatus est: & cuius aduentum Prophetæ magno cum desyderio expectauerunt. Isti & uiderunt, & nō agnouerunt, insuper & blasphemauerunt, clamātes, Nos nō habemus regē, nisi cæsarem, & cætera quæ sequuntur. Cuius populi duritia sic non mutatur, quomodo nec Ethyopis color, aut pardi uarietas: Hieremia testante, Si immutare potest Ethyops pellem suam, aut pardus uarietates suas.

¶ Quia eum non agnoscentes Iudæi, congregati sunt aduersus eum. Cap. XX.

SEd quia eum Iudæi non agnoscentes, congregati sunt, ad interficiendum eum, & uniuersalem adsensum in passione eius præbuerunt, ita legitur, Quare fremuerunt Gentes, id est, Romani, & populi meditati sunt inania: hoc est, Iudæi. Adstiterunt reges terræ: hoc est, Herodes & Pilatus, & principes conuenerunt in unum, Scilicet, principes sacerdotum, & seniores Iudæorum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Et iterum ex eiusdem Domini persona, Circundederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. Canum autem nomen in eos, est etiam per Prophetam alterum constitutum. In Esaia enim scriptum est, Omnes canes cæci, nescientes latrare. Canū enim mos est (ut ait noster Hilarius) pastorem adludere, gregem nosse, insidiantes feras persequi. At uero isti cæci canes, pastorem suū non uidentes, officium non intelligentes, latratus suos à feris ad regē, à furibus ad Dominum retorserunt. Vnde & alius Propheta de his ita dicit, Facti sunt mihi in sagittā reciprocā.

¶ Et quia triginta argenteis, adpreciatus & uenundatus est. Cap. XXI.

PEr Zachariam ita ipse prænunciauit, Si bonum est, inquit, in conspectu uestro, date mercedem meam triginta argenteos: & dixit Dominus ad me. Proiice illud ad statuarium decorum

corum preciū, quod adpreciatus sum ab eis. Hæc enim nota omnibus caussa est. Iudas enim pœnitentia motus, pecuniam reportauit, & proiecit in templum: abiit, & laqueo se suspendit, ut impleretur quod dixerat Esaias, Testis falsus non erat impunitus, eo quod uendit argento iustum. Quam pecuniam, bene Dominus mercedem suam dixit: multa enim opera apud eos fecerat, reddens uitam mortuis, lucem cæcis, surdis auditum, gressum claudis: pro quibus omnibus, Iudæi nefanda extimatione, mortem triginta argenteorum, mercedem illi restituerunt.

¶ Nam & quia Dominus traditorem suum, per panem ostendit, Apostolis porrectum. Cap. XXII.

ETiam in Psalmis commemorauit in se impletum, dicens, Qui edebat panes meos, ampliauit aduersum me supplantationem. Et iterum, Tu uero homo unanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. De ipso autē Iuda proditore, Hieremias præscius, ita ante prædixit, Peccatū Iudæ scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino. Quod siue ad Iudam siue ad Iudæos non incongrue conuenit, qui sic peccauerunt in Christum, ut non sit peccatum eorum atramento conscriptū, quod deleri forsitan potest, sed stylo ferreo in ungue adamantino exaratum, id est, quod deleri non possit, præ duritia cordis eorum, nisi crediderint.

¶ Nā & ipse sponte pro nobis semetipsum tradidit. Cap. XXIII.

ESaias dicit, Oblatus est, quia ipse uoluit. Et infra, Pro eo quod tradidit in mortē animā suā, uidebit semen longæuū, & uoluntas Domini, in manu eius dirigetur. Et ipse per Hieremiā Prophetā sic loquitur, Reliqui domū meā, dimisi hæreditatē meam, tradidi dilectam animā meam in manus inimicorū eius, hoc est, in manus Iudæorum, qui eum interficerunt.

¶ Quia comprehendendus erat. Cap. XXIIII.

HIeremias Propheta longe ante ita prædixit, Spiritu oris nostri Christus Dns captus est in pecatis nostris. Quo uaticinio demōstrauit aperte, & Christū Dnm esse, & traditū pro nostris

peccatis fuisse. Item Sapientiæ liber dicit, Dixerunt inter se impii, comprehendamus iustum, quia inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris: promittit scientiam Dei se habere, & filium Dei se nominat. Et infra, Si enim est uerus filius Dei, suscipiet illum, & liberabit eum de manu contrariorum. Et infra, Vt sciamus reuerentiam illius, probemus patientiam ipsius, morte turpissima condemnemus eum, id est, affixione crucis.

¶ Quia iudicandus erat. Cap. XXV.

CLamat Dauid, sub figura populi peccantis in Deum, Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris. Veniēs enim Christus in corpore, tanquàm se reum constituit, & iudex hominum, hominibus ad iudicandum se præbuit, sicq; mitis & patiens, dum iudicatus est, uicit, quia nihil in eo dignum quod iudicaretur populus persecutor inuenit. Vnde & Propheta aduentum iudicii eius adnuncians, sic comminatur contra eundem populum, dicens, Audite quæ Dominus loquitur: Surge, & contende iudicio aduersus montes, & audiant colles uocem tuam. Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terræ, quia iudiciū Domini cum populo suo, & cum Israël diiudicabitur, dicēs, Popule meus quid feci tibi, & quid molestus fui tibi, responde mihi, quia eduxi te de terra ægypti, & de domo seruientium liberaui te, & misi ante faciem tuā Mosen, & Aaron & Mariam. Vbi ostendit beneficia, & præstita Domini in populum suum. Et contra hæc aduersus eum mala eorum, & quid iuxta hic eidē populo uenturum sit, deinde subiungit, Audite tribus, quis approbauit illud: adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis.

¶ Quia falsis testibus accusandus erat. Cap. XXVI.

PEr Oseæ Prophetam idem Dominus sic dicit, Væ, inquit, eis, quoniam recesserunt à me, uastabuntur, quia præuaricati sunt in me: ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia: & ego erudiui eos, & confortaui brachia eorum, & ipsi in me cogitauerunt malitiam, reuersi sunt, ut essent absq; iugo, facti sunt

ti sunt, quasi arcus dolosus. Et Zacharias, Si inualuerunt super me uerba uestra, dicit Dominus, & dixistis, quid locuti sumus contra te. Et in Psalmis dicit, Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. Et Esaias de Iuda dicit, Testis falsus nõ est impunitus, pro eo quod uendidit pro argento iustũ.

¶ Quia clamauerunt Pilato, ut crucifigeretur. Cap. XXVII.

PEr Hieremiã Christus de synagoga prædixerat, dicens, Reliqui domũ meã, facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in sylua, dedit contra me uocem suam, blasphemans utiq; & dicens, Crucifige, crucifige. Et alibi ipse dicit, Super quem aperuistis os uestrum, & aduersus quem laxastis linguas uestras. Et Esaias, Ruit, inquit. Hierusalem, & Iudas concidit, quia linguæ eorum contra Dominum. Item ipse, Expectaui ut facerent iudicium, fecerunt autem iniquitatem, & non iustitiam, sed clamorem.

¶ Quia etiam posteritatem suam damnauerunt. Cap. XXVIII.

NAm quia peccantes Iudæi etiam in Chtisto posteritatem suam clamauerunt, dicentes, Sanguis huius super nos, & super filios nostros. Olim cum obiurgatione Esaias illis prædixerat, dicens, Semen pessimum præparate filios uestros occisioni, in iniquitate patrum uestrorum. Venientibus enim in Iudæam Gentibus, propter scelera patrũ, etiã filii trucidati sunt. Sub quorum persona & Hieremias interitum eorum ita deplorat, dicens, Patres nostri peccauerunt, & non sunt, nos autem iniquitates eorum exoluimus. Item Hieremias, Sacerdotes non dixerunt, ubi est Dominus, & tenentes legem, nescierunt me, & pastores prauaricati sunt in me. Propterea adhuc iudicio cotendam uobiscũ, ait Dominus, & cum filiis uestris disponam. Item ipse, Quare ergo est factus in prædam? Super eum rugierunt leones, & dederunt uocem suã, posuerunt terram eius in solitudinem, & ciuitates eius exustæ sunt, & non est qui habitet in eis.

¶ Quia flagellatus est, & palmarum sustinuit ictus. Cap. XXIX.

IOb de eo sic dicit, Exprobrãtes & cõspuentes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis. Et in Psalmis ipse dicit, Ego ad flagella paratus sum. Et iterum, Congregata sunt in me flagella, & ignoraui. Similiter & per Esaiam, Non sum, inquit, contumax, neq; contradico, corpus meum dedi percutientibus, & genas meas uellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus. Et per Hieremiam dicit, Posui scapulas meas ad flagella, & maxillas meas ad palmas. Item de ipso idem Hieremias, Dabit, inquit, percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.

¶ Quia arundine caput eius percussum est. Cap. XXX.

ET sustinet patienter, Esaias prædixerat, dicens, Arundinem quassatam non conteret.

¶ Quia spinis coronatus est. Cap. XXXI.

ET spinea quia corona capiti eius imposita est, scribitur hoc in Canticis Canticorum, ex persona patris de contumeliis filii, iniquitatem Hierusalem mirantis atq; dicentis, Exite & uidete filiæ Hierusalem regem in corona, qua coronauit eum mater eius, id est, coronam spineam, quam capiti eius imposuit Synagoga. Sed per Hieremiam idem filius sic dicit, Spinis peccatorũ suorum circundedit me populus hic. Et apud Esaiam, Plantauit, inquit, uineam electam, & expectauit ut faceret uuas. Fecit autẽ spinas, utiq;, quia degenerans à Patriarcharum fructu: non fructus iustitiæ, sed spinas mortis, & crucis suo attulit creatori.

¶ Quia ueste coccinea indutus est. Cap. XXXII.

NAm quod milites inludentes, ueste coccinea induerunt eũ. Prænunciauit hoc Esaias Propheta, dicens, Quis est iste, qui uenit de Edom, tinctis uestibus de Bosra: quare rubrum est uestimentum tuum, tanquàm calcantium in torculari? At ille respondens, Torcular, inquit, calcaui solus. Calcare enim torcular solum se dixit, quia solus propter mundi peccatum, passionẽ suscepit, solusq; delicta omnium sanguine suo lauit.

Quia

¶ Quia dum pateretur, tacuit.
Cap. XXXIII.

NAm quia dum pateretur, tacuisse scribitur. Hoc Prophetarum uoces testantur. Esaias enim sic de illo ait, Tanquàm ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum. Hic enim in passione Pilato interroganti, nihil locutus est, sed in humilitate iudicium eius sublatum est. De quo & ipse alibi, Non clamabit, neq; audiet quis in plateis uocem eius. Item idem Christus per eundem Prophetam, Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, corpus meum dedi percutientibus. Et ipse alibi, Tacui, silui, nunquid semper tacebo? Primo enim tacuit ut iudicaretur, quando sicut agnus corã tondente se, fuit sine uoce, nec aperuit os suum, suamq; compescuit potestatem. In nouissimo autem, sic de eo scribitur, Deus manifeste ueniet, Deus noster, & non silebit. Tacuit enim ut iudicaretur, quando uenit occultus. Nequaquàm autem tacebit ut iudicet, quando uenerit manifestus.

¶ Quia crucem suam ipse portauit.
Cap. XXXIIII.

ESaias prædixit, Puer natus est nobis, filius datus est nobis, & factus est principatus eius super humeros eius. Quis enim regum potestatis insignia in humero portat, & non aut in capite coronam, aut aliqua propriæ uestis ornamenta? Sed solus rex seculorum Christus, gloriam potestatis suæ & sublimitatis in humeris extulit. Quod etiam Isaac figurauit, qui cum à patre hostia duceretur, ligna ipse sibi portauit, Christi eximiam tunc præfigurans passionem, lignum passionis suæ gestantis.

¶ Quia ligno crucis suspensus est, atq; suffixus. Cap. XXXV.

HIeremias Propheta ex persona Christi prædixerat, dicens, Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad uictimam, & non cognoui, quia super me cogitauerunt consilia, dicentes,

Mittamus lignum in panē eius, & eradamus eum de terra uiuentium Hæc enim, quæ passurus erat Dominus à Iudæis, quasi si iam facta fuissent, Propheta commendat. Nam, cui est lignum in pane missum, nisi Christi adfixo carnis in ligno? Panē enim, corpus eius agnoscimus. Lignum in pane esse, fides nostra, crucem agnoscit in corpore: quia uita corporis sui, panis est. Scriptū est enim, Et erit uita tua pendens ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credebis uitæ tuæ. Sed in Psalmis iterum: quia extendit manus suas in cruce, sic dicit, Eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum. Siue quod ueniente quasi mundi uespera, siue quod declinante iam sole ad uesperam, Dominus in cruce animam posuit, eleuans manus suas in eundem crucis lignum, atq; offerens seipsum Deo pro nobis sacrificium, ut per illud sacrificium, delerentur peccata nostra. Apud Esaiam quoq; de crucis eius prædicatione, ita scribitur, Et erit principatus eius super humeros eius, id est, uexillum suæ crucis, quod suis protulit humeris: iuxta uaticiniū Dauid Prophetæ, qui dicit, Dominus regnauit à ligno. Abacuc quoq; passionem crucis Christi ita pranunciauit, dicens, Cornua in manibus eius sunt. Quod, quid est aliud, nisi trophæum crucis. Item, ipse de ascensione crucis, in qua exaltatus est, omnia traxit ad seipsum, ita dicit, Dominus fortitudo mea, constituet pedes meos in consummatione super excelsa imponet me, ut uincam in claritate eius.

¶ Quia crucifixus est, & manus eius, ac pedes, clauis adfixi sunt. Cap. XXXVI.

PEr Dauid ipse loquitur, dicens, Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea, ipsi uero cōsyderauerunt & cōspexerunt me. Quibus itaq; uerbis in cruce corpus significat extentum, manibus pedibusq; confixis, & clauoru transuerberatione confossis. Quod Dauid passus non est, qui sine ulla corporis passione legitur in pace quiescere: sed hoc de Christi prædictum est passione, qui à populo Iudæorum, clauis in ligno confixus est. Manus enim & pedes non confodiuntur, nisi eius

qui in ligno

qui in ligno suspenditur. Item in Canticis Canticorum, Manus meæ distillauerunt myrrhã, & digiti mei pleni myrrha. Quod specialiter dixit, propter fixuras clauorum, & per malitiam, qua crucifigẽdus erat. Ita enim præmisit idẽ de semetipso Dominus, dicẽs, Si adfiget, inquit, homo Deum, quia uos configitis me. Et dixistis, In quo configimus te? Et subiecit Deus post hæc illis, Me uos configitis gens tota: quod pertinet ad mysterium Dominicæ passionis, in qua Iudæi Christum crucifixerunt, quando sceleratas manus iniecerunt in eum. Quod etiam per Zachariam iterum Deus memorat, dicens, Et adspicient ad me quem cõfixerunt, & plangent eũ planctu, quasi super unigenitũ, & dolebunt super eũ ut doleri solet in morte primogeniti. Hoc enim factum deprehendimus in HIESV, quem confixerunt Iudæi in cruce, quem & dolebunt à se crucifixum in iudicii die, cum uiderint eum in patris, ac sua maiestate regnantem.

¶ Quia inter duos latrones crucifixus est.

Cap. XXXVII.

NAm quod inter duos latrones crucifigendus esset, longe ante per Esaiam prædicatum est, Et inter iniquos deputatus est. Et Abacuc Propheta, In medio, inquit, duorum animalium, cognosceris, id est, inter medios duorum latronum.

¶ Quia diuisa sunt uestimenta eius.

Cap. XXXVIII.

POst crucis sententiam, sequitur rerum diuisio, & sors super uestem, quam per Dauid idem Dominus ante prædixerat, dicens, Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem. Quæ prophetia, quemadmodum sit expleta, Euangelica narrat historia. Nam dum uestimenta alia à militibus fuissent diuisa, pro tunica autem dicunt, Non scindamus eã, sed mittamꝰ sortẽ cuius sit. Erat enim tunica omni parte contexta.

¶ Quia felle & aceto potatus est. Cap. XXXIX.

QVod autem pendenti in cruce, acetum cum felle mixtum dederunt, hoc iam fuerat in Psalmis prædictũ à Domino,

Dederunt in esca mea fel, & in siti mea potauerũt me aceto. Quod quidem & alias ad Hierusalem ipse sic proclamat, Ego te plantaui uineam electam, quomodo facta es in amaritudinem uitis alienæ. Deus enim bonam plantauerat uineam, hoc est, Iudæorum gentem: illa uero uitio suo deprauata, conditorem amaritudine potauit. Pro quo & Moses, Vua, inquit, eorum uua fellis, & botrus amaritudinis ipsis. Vnde & superius obiurgãs eos dicit. Sic plebs fatua & non sapiens, hæc Domino retribuisti.

¶ Quia hyssopo circundederunt spongiam aceto plenam. Cap. XL.

NAm quod hyssopo circundederũt spongiam aceto plenam, in Psalmis dictum fuerat, Asperges me hyssopo, & mundabor. Vnde & in lege per hyssopi fasciculum aspergebantur agni sanguine, qui mundari uolebant, quo significaretur per passionem Domini, peccata ablui mundi.

¶ Quia titulus crucis eius corruptus non est. Cap. XLI.

PRo quo titulo dixerunt Iudæi, Noli scribere rex Iudæorum. Et respondit Pilatus, Quod scripsi scripsi. Iam enim in Psalmo quinquagesimosexto fuerat prophetatum, Ne corrumpas tituli inscriptionẽ. In cuius Psalmi serie, non solũ passio uel mors, sed etiam resurrectio & ascensio Domini prædicatur.

¶ Quia in cruce pendens, patrem pro inimicis suis deprecatus est. Cap. XLII.

ESaias dicit, Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus orauit. Et in Psalmis sic, Pro eo, inquit, quod eos diligebã, aduersabantur mihi, ego autẽ orabam pro eis. Item Abacuc dum dixisset de eo, In medio duorum animalium cognoscetis: subiecit, Cum conturbata fuerit anima mea, in ira, misericordiæ tuæ memor eris. Præfigurauit enim Propheta sub hac sententia in semetipso Iudæorum personam, qui Christum commoti ira, crucifixerunt. Vbi tamen ille memoratus misericordiæ suæ, dixit, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

Et quia

¶ Et quia non pro suis, sed pro nostris peccatis crucifixus est. Cap. XLIII.

PRo iniquitatibus populi sui, ductus est ad mortem, & dabit impios pro sepultura eius. Et iterum, Vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra, & liuore eius sanati sumus. Et iterũ, Omnes nos quasi oues errauimus, unusquisq; in uiam suam declinauit, & Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum. Iuxta Apostolum qui dicit, quia cum peccatum non cognouisset, ipse pro nobis peccatum factus est. Quare autem pro nobis passus est, hæc est caussa.

¶ Quia mortuus est. Cap. XLIIII.

POst flagella & crucem, fellisq; & aceti potationem: deinde sequitur mors eius, quam lex ipsa non siluit, dicens, Recubans dormiuit ut leo, & ut catulus leonis, quis suscitauit eum? Clamat etiam & eandem mortem eius & sexagesimusseptimus Psalmus, Deus noster Deus saluos faciet nos, & Domini mors, & Domini exitus. Quid apertius diceretur? Dominus enim HIESVS, qui interpretatur Saluator, ipse est Deus noster, saluos faciens nos: quem quia oportuit nasci, & à uita exire per mortem. Ideo subiunctum est, Domini mors, & Domini exitus. Itẽ & per Esaiam, Tanquàm ouis ad occisionẽ ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine uoce, sic non aperuit os suum. Pro peccatis populi sui ductus est ad mortem. Iudæi autẽ Christum, quẽ sperant moriturum, non sperant resurrecturum. Ideoq; respondeant, Quis est iste, quem Propheta adnunciat. Item apud Hieremiam sic dicit, Inebriaui animam lassam, & omnem animam esurientem saturaui. Ideo quasi de somno suscitatus sum & uidi, & somnus meus dulcis est mihi. Daniheli quoq; angelus de occisione & morte Christi sic loquitur, dicens, Scito & animaduerte ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Hierusalem, usq; ad Christum ducem hebdomadæ septem, & hebdomadas lxii. erunt. Et post hebdomadas lxii. occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est. Vnde & ibi sequitur, Cladis Iudæo

rum, quæ postea completa est, & ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce uenturo, id est, Romanus exercitus cum Vespasiano. Item in Sapientia sic legitur de morte eius, Cõtumeliis & tormentis interrogemus eum, ut sciamus reuerentiã illius, & probemus patientiam ipsius, morte turpissima condemnemus eum.

¶ Quia in passione eius, tenebræ factæ sunt. Cap. XLV.

QVod uero media die in passione eius tenebræ factæ sunt, & sol ipse refugit, hoc etiã Diuini libri loquuntur, Amos Propheta testante, Et erit in die illa, dicit Dominus, occidetur uobis sol meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis. Et Hieremias, Exterrita est, inquit, quæ parturit, id est, Hierusalem, & adflicta est anima eius. Occidet ei sol cum adhuc medius dies esset, & cõfusa est & maledicta, reliquias eorũ in gladio dabo, quod factum est per Vespasianum.

¶ Quia non fregerunt crura eius. Cap. XLVI.

PORro, quia non fregerunt eius crura, nisi tantum latronum iam prædictum fuerat, Os eius non comminuetis. Præceptum enim fuerat eis celebrare pascha, in ouis similitudine, in qua Dominicæ passionis umbra præcesserat, qui tanquam ouis ad occisionem ductus est. Illa enim figura agni, Christi passionẽ significabat.

¶ Et quia lancea latus eius percussum est. Cap. XLVII.

SIc prænunciatum est ab ipso per Iob, Confregit me, & posuit me quasi in signum, circundedit me lanceis suis. Conuulnerauit lumbos meos, cõcidit me uulnere super uulnus, id est, uulnere lanceæ super uulnus clauorum. Vnde etiam & per Dauid, Super dolorem uulnerum meorum addiderunt. Sic est ab eo prænunciatum, & per Hieremiam, Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ. Et iterum de ipso populo, sic ait idem Dominus per Prophetam,

phetam, Facti sunt mihi in sagittam reciprocam. Et Zacharias, Viderunt in quem confixerunt, utiq; hominem quem crucifixerunt. Quo etiã testimonio promissus est Christus, in ea qua crucifixus est carne uenturus.

¶ Nam quia ex latere eius sanguis & aqua manauit. Cap. XLVIII.

ZAcharias dicit, Tu quoq; in sanguine testamenti tui, emisisti uinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Et iterum, Cum egrederetur uir ab oriente: ecce, aquæ redundantes à latere dextro, scilicet Christi. Item de eadem aqua, quæ ex latere eius profluit, Propheta alius sic dicit, Flumina aquæ uiuentis egredientur de uentre illius, Aquæ scilicet baptismatis, quæ credentes uiuificant, & quæ sitientibus largiuntur, quando impletur quod scriptum est, Lauamini, mundi estote, & lauabis me & super niuem dealbabor.

¶ Quia sepulturæ est traditus. Cap. XLIX.

IN Psalmis dicitur, Collocauerunt me in obscuris, sicut mortuos seculi. Quasi diceret, sicut hominis, utiq; quia ipse Deus erat. Item Esaias, Erit Dominus nominatus in signum æternũ, quod non auferetur, & erit sepulchrum eius gloriosum. Et alibi, Dabo impios pro sepultura eius, & diuites pro morte eius.

¶ Quia lapis ad ostium monumenti positus est. Cap. L.

POstquàm sepultus est, lapis ad ostiũ monumenti adpositus est. Per Hieremiam item idem ait, Lapsa est in lacu mea uita, & posuerunt lapidem super me. Et iterum, Conclusit uias meas lapidibus quadris, circumædificauit aduersum me, ut non egrediar.

¶ Quia in infernum descendit. Cap. LI.

SIc idem Dominus in Ecclesiastico dicit, Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciã omnes dormientes, & inluminabo sperantes in Deum. Item in Psalmis, Vita mea in inferno adpropinquabit: æstimatus sum cum descendentibus in lacum. Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.

Descendit enim sicut homo in infernum, sed solus inter mortuos liber fuit, quia mors illum tenere non potuit.

¶ Quia descendens de morte, quos uoluit liberauit. Cap. LII.

ITem quia in infernum descendens, eos qui captiui erant, à diabolo eruit, & sic iterum ad cœlestia remeauit. Per Ozeã ita ante prænunciauit, Ego, inquit, ego capiam & uadam, tollam, & non est qui eruat. Vadens reuertar ad locum meum, id est, ad cœleste solium. Et infra, De manu, inquit, mortis liberabo eos, de morte redimam illos. Ero mors tua, o mors, ero morsus tuus inferne.

¶ Quia in morte corpus corruptionem non uidit, sed statim deuicta morte resurgens, ab inferis remeauit. Cap. LIII.

ET hoc per Prophetam idem in Psalmis prædixit, Caro mea requiescit in spe, quoniam non derelinques animam meã in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. De qua resurrectione & in Psalmo tertio ita cantatur, Ego dormiui & quieui, & exurrexi, quoniã Dominus suscitauit me. Vbi quid aliud indicat prophetia, quod dormierit & resurrexit, nisi somnus iste, mors esset: & euigilatio, resurrectio? Quod & in sexagesimo Psalmo manifestiùs ostenditur, ubi dicit, Tu autem Domine, miserere mei, & resuscita me, & retribuam illis. Nunquid qui dormit, non adiiciet ut resurgat. Item ibi, In pace dormiam & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. Singulariter, quia tantum solus ipse sic requieuit, ut confestim post mortem resurgeret. Item per Esaiam de eadem resurrectione sua, sic clamat. Nunc exurgam dicit Dominus, nũc exaltabor, & nunc subleuabor. Vbi aperte testimonium resurrectionis & ascensionis ostenditur: Vnde & ibi zelum Iudaorũ subiecit, dicens, Concipietis errorem & parietis, spiritus uester ut ignis uorabit uos.

¶ Quia tertia die resurrexit. Cap. LIIII.

OSeas prædixerat, dicens, Venite & reuertamur ad Dominum, quia ipse cœpit, & sanabit nos, Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & uiuemus in cōspectu eius. Omnia enim hæc in Christo ita cōpleta sunt. Quinta feria enim traditus, Parasceue passus, Dominica circa diluculum resurgēs, ab inferis remeauit. Vnde & subiunxit Propheta, Quasi diluculo præparatus est egressus eius. Quod autem dixit, Resurgemus & uiuemus in conspectu eius, hoc Propheta de sua persona, uel sanctorum eloquitur, qui in inferno erant, & cum illo tertia die resurrexerunt.

ℭ Quia post resurrectionem suam, Christus piscatores Apostolos prædicare Gentibus misit. Cap. LV.

PEr Hieremiam ante sic meminit, dicens, Ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos. Deniq; secundum Matthæi Euangelium legitur, quod HIESVS ueniens iuxta mare Galilææ, Petrum & Andream fratrem eius uidit, mittentes retia in mare, quibus dixit, Venite post me, & faciam uos piscatores hominum. Similiter & duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Iohannem fratrem eius, dum uidisset in nauicula cum patre Zebedæo, texentes retia, prouocans eos, de piscatoribus piscium, piscatores reddidit hominum. Scilicet, ut prædicationis rete, cunctos credentes de profundo seculi huius extraherent. Post hos piscatores: sequitur, Et mittam uenatores, & uenabuntur eos de montibus, & de collibus, & de cauernis petrarum, quod speciaiter ad conuersionem pertinet Gentium, quos undiq; Apostoli cœperunt, qui super adsumptionem constituti sunt animarum. Quos quia post gloriam resurrectionis suæ DOMINVS ad prædicandum in Gentibus mitteret. Et per Esaiam sic prælocutus est, dicens, Veniam, inquit, ut congregem cum omnibus Gentibus & linguis, & uenient & uidebunt gloriam meam, & ponam in eis signum: utique crucis, & mittam ex eis, qui saluati fuerint ad Gentes in mare, in Africam, in Libyam, tenen

tes ſagittam, id eſt, uelocem prædicationis ſermonem. In Italiam quippe & Græciam, & qui ad inſulas longe, & ad eos qui non audierunt de me, & non uiderunt gloriam meam. In qua ſententia, ſpecialiter miſſi Apoſtoli prophetantur. Simulque & quod per totum mundum prædicauerunt Euangelium, idipſum Prophetæ non tacuerunt, de quibus etiam & in Pſalmis ante præ dictum eſt, Non ſunt loquelæ, neq; ſermones, quorum non audi antur uoces eorum: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ, uerba eorum.

¶ Quia in cœlum aſcendit. Cap. LVI.

IAm uero, quia poſt reſurrectionem ſuam, in hominis formã, Chriſtus in cœlum, uſq; ad patrem aſcendit, Danihel dicit, Aſpiciebam in uiſu noctis, & ecce in nubibus cœli, quaſi filius hominis ueniebat, & uſq; ad antiquum dierũ peruenit, id eſt, uſq; ad patrẽ. Poſt hæc adiecit, Et in conſpectu filiorũ obtulerunt eum, & dedit ei poteſtatem & regnum, & omnis populus, tribus & linguæ, ipſi ſeruient. Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur. Huius aſcenſionem in cœlis prorſus Pſalmiſta ſic indicat, Ipſe tanquã ſponſus procedens de thalamo ſuo. Exultauit ut gygas ad currendam uiam, à ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius uſq; ad ſummũ eius. Veniens enim de cœlo, uſq; ad inferos deſcendit, regreſſuſq; repetit manſionem ſuam, aſcendens ad ſedem patris, de quo antea ſolus exiuit. Cuius aſcenſus in cœlum uel introitus, quibus gaudiis declaretur, Pſalmographus indicat, Videntes enim poteſtates æthereæ carnem Chriſti aſcendentem in nubibus, & portas cœli ingredientem, dixerunt, Tollite portas principes ueſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Hunc aſcenſum eius & alibi commemorans Dauid, dicit, Aſcendens ſuper cherubin & uolauit, uolauit ſuper pennas uentorum. Et iterum, Aſcendit in altum, cœpit captiuitatem, dedit dona hominibus. Qui utiq; niſi fuiſſet in terra, nõ diceretur aſcẽdere.

dere. Sed quid est, captiuam duxit captiuitatem? nisi, quia deuicta morte, ipsam carnem quam e terris adsumpserat, quasi captiuá in cœlũ ducebatur. Vnde & post hæc Propheta hortatur omnes gentes, prouocans eas ad laudem Christi, eundemq; ascensum eius, eisdemq; iterũ sic prænuncians, Regna terræ cantate Deo, psallite Domino, psallite Deo, qui ascendit super cœlos cœlorum ab oriente. Quia idem locus in orientis partibus est, ubi Christus resurrexit, & unde in cœlum ascendit. Et post hæc subdidit, Visi sunt ingressus tui Deus, ingressus Dei mei regis. Videntibus enim omnibus Apostolis, atq; quingentis uiris, sic ascẽdit in cœlum. Huius ascensionem & Salomon in Canticis prædicat Canticorum, Ecce, hic saliens super montes, transiliens super colles. Et Amos dicit, Aedificauit Dominus in cœlo ascensum suum, & policitationem in terra firmauit. Sed & illud quod per Esaiam Dominus dicit, Nunc consurgã, nunc exaltabor, nunc sublimabor. Testimonium resurrectionis & ascensionis Christi declarat, quasi aperte diceret, Nunc exurgam à mortuis, nunc exaltabor in cœlo, nunc sublimabor in regno. Vnde & alibi ipse Esaias, Ecce intelliget seruus meus, exaltabitur & eleuabitur, & sublimis erit ualde. Quod utiq; ad ascensionem cœli, & gloriam pertinet regni.

¶ Quia sedet ad dexteram patris. Cap. LVII.

IN Psalmis scriptum est, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Inquirant ergo Iudæi, cui dictum est à Domino, Sede à dextris meis. Nunquid archangelo? non opinor, neq; angelo, neq; prophetæ, nam nullus horũ in ea gloria est: sed ille, quem digno consessu suo inuisibilis Deus habet, hic sedet ad dexteram patris: qui sicut consessu Dei dignus est, ita & natura dignus est, & nomen est. De quo dicit & Psalmus, Regnabit Dominus super omnes gentes, Deus sedit super sedem sanctam suam. Et iterum, Dominus in cœlo parauit sedem suam, & regnum eius omnium dominabitur.

¶ Quia regnum eius in cœlo & in terra æternum ac perpetuum permanebit. Cap. LVIII.

DAnihel dicit, Videbam in uisione noctis, & ecce, cum nubibus cœli, quasi filius hominis ueniebat, & usq; ad uetustum dierum peruenit, & in conspectu eius prælatus est, & ipsi datus est principatus, & honor, & regnum, & omnis populus, tribus & linguæ, ipsi seruient. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Quo testimonio ostenditur, ita accepisse Christum ab omnipotente Deo dominationem & regnum, ut potestas eius æterna sit, & regnum eius sine ullo corruptionis fine permaneat. Et iterum idem Danihel, In diebus illis, suscitabit Dominus cœli regem, qui in æternum non commouebitur. Et regnum eius populo alteri non dabitur. Percutiet & cõteret uniuersa regna, & ipsum stabit in æternum. Et Esaias Propheta de eodem, Multiplicabitur, inquit, eius imperium, & pacis eius non erit finis. Et in Psalmis sic legitur, Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec extollatur luna, id est, usq; ad consummationem seculi.

¶ Quia post ascensionem suam, Spiritum Sanctum super Apostolos misit. Cap. LIX.

DAuid ita dicit, Ascendit in altum, cœpit captiuitatem, dedit dona hominibus. Post ascensionem enim suam misit Spiritum sanctum, in quo omnium est plenitudo donorum. De quo & per Iohelem Prophetam adnunciat, dicens, Erit, inquit, post hæc, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii uestri, & filiæ uestræ. Senes uestri somnia somniabunt, & iuuenes uestri uisiones uidebunt, sed & super seruos meos, & ancillas, in diebus illis, effundam de spiritu meo, Et Zacharias, Effundam, inquit, super domum Dauid, & super habitantibus Hierusalem spiritum gratiæ & præcum.

¶ Quia Apostoli Spiritu sancto repleti, linguis uniuersarum gentium locuti sunt. Cap. LX.

Et hoc

ET hoc ante prænunciatũ est, dicente Psalmista, Non sunt loquelæ, neq; sermones, quorũ non audientur uoces eorum.

¶ Quod autem uenturum Christum de cœlis iudicem speramus, & quod ei omne iudicium dedit pater. Cap. LXI.

PEr Ezechielem ita adnunciatur, Hæc dicit Dominus Deus, Aufer cidarim, tolle coronam, nonne hic est qui humiles subleuabit, & sublimes humiliabit? Iniquitatẽ autẽ ponã eam. Et hoc non factum est, donec ueniat cuius est iudicium, & tradã ei. De quo Esaias, Dominꝰ sicut fortis egredietur, & sicut uir præliator. Suscitabit zelum, uociferabitur & clamabit, super inimicos suos confortabitur. Tacui semper, silui, patiens fui, sicut paries loquor, dissipabo & absorbebo simul. Hoc ad secundum aduentum adtinet, in quo nõ humilis ut iudicetur, sed ut iudex fortis egredietur. Neq; tacebit, quod in priori aduentu fecit: aut patiens erit, sicut fuit in passione carnis, sed iudicans, uociferabit. Loquitur ut paries, quia repente quasi paries conruens, suos hostes est oppressurus. Hoc etiam & testimonio Psalmistæ docetur, ubi dicit, Deus manifeste ueniet, Deus noster, & nõ silebit: utiq; quia & si in primo humilitatis suæ aduentu, tacuit iudicatus: in secundo, dũ manifestus uenerit ut iudicet, nõ tacebit, sed clamabit, ut reddat singulis secundũ opera eorũ. Ignis ante eũ ardebit, & in circuitu eius, tempestas ualida. Ignis ante ipsum ardebit, qui ut ligna, fœnũ, stipula, delinquentiũ consumpturus est opera. Ac sicut aurũ & argentum, lapidesq; preciosos, iustorũ probaturus est gesta. Qui dicturi sunt, Transiuimus per ignẽ & aquã, & induxisti nos in refrigerium. Aduocabit cœlos sursum, & terram discernere populum suum. Congregate illi sanctos eius, qui ordinent testamentum eius super sacrificia, & adnunciabunt cœli iustitias eius, quoniam Deus iudex est. Et Esaias, Auditam, inquit, faciet Dominus gloriam uocis suæ, & terrorem brachii sui ostendet, in comminatione furoris, & flamma ignis deuorantis. Allidet in turbine & in lapide grandinis. Brachium

enim Dei, Christus est, qui in flamma & terrore tempestatis ad iudicandum uenturus est, de cuius iterum iudicio idem Propheta sic dicit, Consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus seculorũ. Nunquid, non tu percussisti superbum, uulnerasti draconem? Hic secundus Christi prædicatur aduentus, ut ea uirtute consurgat in iudicio ad separationem bonorum atq; malorum, qua uirtute surrexit in generationibus seculorum. Hoc est, in principio quando percussit superbum, id est, diabolum, separando eum à bonorum consortio angelorum. De cuius Christi iudicio, & Micheas Propheta sic loquitur, dicens, Audite colles iudicium Domini, & fortia fundamenta terræ, quia iudicium Domini cum populo suo, & cum Israël diiudicabitur, dicens, Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi, responde mihi? Tunc enim iuxta Malachiam, Videbunt in quem confixerunt, & plangent eum plaustu, quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. Dolebunt enim eum à se crucifixum, cum uiderint iudicantem, & in patris ac sua maiestate regnantem. Iob quoq; ante legem Euangelicis uirtutibus clarus redimendum se & resuscitandum, & Deo iudici, qui uenturus est iudicare uiuos & mortuos præsentandum, prophetica authoritate pronunciat, dicens, Credo enim quod redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum. Quem Deum? nisi qui uidendus est in iudicio: sicut legimus, Videbunt in quem compunxerunt. Quem quidem dicunt in eo loco iudicaturum impios, ubi ipse est iudicatus, Ioële Propheta testante, Exurgam, inquit, & ascendant omnes gentes in ualle Iosaphat, ibi sedebo, ut iudicem omnes gentes in circuitu. Iam plerique ibi asserunt futurum iudicium, ubi passus est Dominus, Esaia probante, Consummationem & eleuationem Dominus Deus exercituum faciet in medio orbis terræ. Quæ consummatio & abreuiatio processura quæ potest esse, nisi iudicii futuri. Sed ubi sit medium terræ, illud fidele de passione testimonium Dauid

ostendit, qui dicit, Deus autem rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ. Nulla enim alia est salus nostra, nisi redemptio Domini nostri Saluatoris & iudicis, quæ in medio terræ orta est.

¶ Epilogus operis.

ECce Noui Testamenti iudicem & regem de Prophetis, ecce Christum ex lege omnium Dominum tenent. Ista omnia in libris Hebræorum legunt Iudæi, & non intelligunt, quia omnia signata sunt in illis, Propheta testante, Et erunt sermones libri huius, sicut sermones libri signati. Quem si quis dederit homini nescienti literas, dicat, lege: respondeat, nescio literas. Et rursum det alteri scienti literas, & dicat, lege: ille uero respondeat, non possum, signatus est enim liber. Et sunt Testamenti Veteris signacula, quæ filius & hæres resignauit, cordis nostri oculos inluminans, sicut scriptum est, Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. Habemus enim ad intelligendum Christum ducem, legem: testes, Prophetas, ex quibus diuinitatem eius & nomen, gentem quoq; & genus, patriam, natiuitatem, uirtutes, & curationes, comprehensiones, palmas, flagella, consputationes, suspensionem, fellis & aceti potationem, mortem, sagittam, sepulchrum, infernum, incorruptionemq; corporis, resurrectionem carnis, ascensionem eius in cœlis, regnum atq; iudicium declarauimus.

FINIS LIBRI PRIMI.

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ

LIBRI SECVNDI.

Vadam ex parte Domini & Saluatoris nostri Natiuitatem, Passionem, Resurrectionem, cœlique Ascensionem, explicui. Sequens uero Opusculum utriusq; populi Prophetiam. id est, Iudæorum ac Gentium, demonstrabit. In quo opere, Sancta Soror, poteris ex paucis animaduertere, quãta Prophetarum uoces, in abiectione Iudaicæ plebis & ceremoniarum cecinerunt, quantaq; in laude populi, Noui uel Veteris Testamenti intonuerunt.

¶ De Gentium uocatione. Cap. I.

IN principio autem opusculi huius, de Gentium credulitate loquendum est, ut facilius reliqua contineantur, dum ipsa fides ecclesiæ antea declaratur. Deniq; cum pro adorato uitulo Dominum precaretur Moses, ut parceret populo peccatori, Respondit Dominus, Propitius ero illis: ueruntamen, uiuo ego & uiuit nomen meum, quia implebitur gloria mea omnis terra. Proinde, quia omnes Gentes ad unius Dei ueri cultum essent uocandæ, Dauid Propheta testatur, dicens, Reminiscentur & conuertentur ad Dominum uniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius omnes patriæ gentium: quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur Gentium. Et rursum, Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum Gentium, reuelauit iustitiam suam. Quam pluralitatem Gentium, ita declamat adunari ad Dei cultum, In conueniendo, inquit, populos in unum, & regna ut seruiant Domino. In

no. In unum itaq; , id est, in unum gregem, ut qui diuersorum ritu, simulacrorum regna multa, & populi dicebantur, in una conueniendo fidem, unus Dei populus, unumq; regnum uocetur. Huius populi congregatio ex Gentibus, ipsa est ecclesia, cui in Psalmis uoce prophetica dicitur, Audi filia & uide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, quia concupiuit rex speciem tuam. Prouocat enim Propheta plebem Gentium obliuiscere populum suum, id est, infidelium cœtum & domum patris sui: Babylonia, scilicet, quæ diaboli & domus & coniux est, & Christo fidei coniugio copulare. Ad cuius populos Esaias clamat, dicens, Congregamini, & uenite, & accedite simul, qui saluati estis ex Gentibus. Nescierunt enim qui leuant signum sculpturæ suæ, & rogant Deum nõ saluantem. Qui sunt isti saluati ex Gentibus, nisi qui crediderunt ex Gentibus? Quod uero dicit, Congregamini, & accedite simul: ostendit, in unam debere Gentes fidem, communionemq; conglobari. Item ipse, Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ, quia ego Deus, & non est alius. In memetipso iuraui, egredietur uerbum de ore meo, & non reuertetur, quia mihi curuabuntur omnia genua, & iurabit omnis lingua in Domino. Hoc iam contuemur fuisse completum, quando in omnibus terræ finibus, Dei dilatatur ecclesia. Qua Prophetia, erubescant Iudæi, qui dum Deũ sibi peculiariter defendentes, dum audiunt, Iurabit omnis lingua in Domino, id est, non tantum Hebræorum populus, sed & omnis Gentium multitudo. Adhuc idem Esaias, Posteaquàm Christi, quam in carne protulit humilitatem, degessit denuo laudem ecclesiæ Gentium, pro qua talia protulit, ita prædicauit: simulq; quod per uniuersum mundum sit ipsa una, sic Prophetando aperuit, dicens, Lauda sterilis quæ non paris, decanta laudẽ, & hinni, quæ non pariebas, quoniam iam multæ filiæ desertæ, magis quàm eius, quæ habebat uirum, dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. A

dextram enim & leuam penetrabis, & semen tuum Gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabit. Et iterum, Creauit fructum labiorum pacem: pacem ei qui longe est, & ei qui prope. Hoc & Apostolus exponit, ubi dicit, Pro ecclesia ex circuncisione, & ex præputio ueniente, Euangelizauit pacem his qui longe, & pacem his qui prope. Et iterum, Quæsierunt me, qui ante non interrogabant: inuenerunt, qui non quæsierunt me: dixi, Ecce ego, ecce ego, ad gentem qui non inuocabat nomen meum, Expandi manus meas tota die ad populũ incredulum. Item ipse idem, Domus mea, domus orationis uocabitur cunctis populis, ait Dominus. Ad ultimum autem sic ait, Venio, ut congregem cum omnibus in omnibus gentibus & linguis, & uenient, & uidebunt gloriam meam, & ponam in eis signum, & mittam ex eis qui saluati fuerint ad Gentes, in mare, in Africa, in Libya, tenentes sagittam. Hæc Esaias. Hieremias autem Gentium compromissionem sic ostendit, Et congregabuntur omnes Gentes in nomine Domini in Hierusalem, & non ambulabunt post prauitatem cordis sui. Et post paululum, Iurauit Dominus in ueritate, & in iudicio, & benedicent eum Gentes, ipsumq; laudabunt. Itẽ idem ipse de uocatione Gentiũ, Domine, inquit, fortitudo mea, ad te Gentes uenient ab extremis terræ, & dicent: Vere, mendacium possiderunt patres nostri. Item idem Hieremias ad populũ Israëliticum, Audite uocem tubæ. Et dixerunt, Non audiemus, Propter hoc audite Gentes. Item in Osea, Et miserebor eius, qui fuit sine misericordia, & dicam non populo meo: populus meus es tu. Et ipse dicit, Deus meus es tu, & erit in loco ubi dictum est, Et non plebs mea uos, ibi uocabuntur filii Dei uiui. Item in Sophonia, Quia tunc reddam populis labium electum, ut uocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero uno, & post hæc adorabunt eum uiri de loco suo, omnes insulæ Gentium. In quo etiam loco, uocatio Gentium prophetatur: nec iam locum orationis unum, in quo carnalis populus Deum quodamodo uidebatur includere, sed pro uno omnem locũ esse orationis ostendit, dum

dit, dũ dicit, Adorabit eũ uir de loco ſuo. Micheas quoq; cõgrega re oẽs gentes prænũciat, ut fidei diſciplinã percipiant: Ita, Et erit, inquit, in nouiſſimo dierum mons, domus Dñi præparatus in uertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum po populi, & properabunt Gentes multæ, & dicent, Venite, aſcenda/mus ad montem Domini, & domum Dei Iacob, & docebit nos de uiis ſuis, & ibimus in ſemitis eius, quia de Sion egredietur lex, & Verbum Domini de Hieruſalem, & iudicabit populos multos, & corripiet Gentes fortes, uſq; in longinquo nouiſſimis diebus. Hi ſunt, in quibus Saluatoris reſplenduit fides. Præparatus autẽ mons ſuper uerticem montium, Chriſtus eſt, & quia ipſe eſt ca/put Apoſtolorum & Prophetarum. Domus uero Domini, eccle ſia Chriſti eſt, ſuper eundem ſtabilita, ad quam Gentiũ congre gatur diuerſitas. Lex autem de Sion exiit, & Verbum Domini de Hieruſalem, ſiue ut ueniret in Gentibus, relictis ob incredulitatẽ Iudæis: ſiue quia in eadem plebe poſitus eſt, HIESVS dixit di/ſcipulis ſuis: Ite, docete omnes gentes. Item Zacharias de eccle/ſia Gentiũ, ſic dicit, Lauda, & lætare filia Sion: quia, ecce uenio, & habitabo in medio tui, ait Dominus, & adplicabuntur Gentes multæ ad Dominum in die illo, & erunt mihi in populum, & ha bitabo in medio tui: & ſcies, quia Dominus exercituũ miſit me ad te. Item ibi, Hæc dicit Dominus exercituum, uſquequo ueni/ant populi, & habitent in ciuitatibus multis? & uadant habitato res, unus ad alterum, dicentes: Eamus, & deprecemur faciem Domini, & quæramus Deum exercituum, uadam etiam & ego, Et uenient populi multi & Gentes robuſtæ, ad quærendũ Domi/num exercituum in Hieruſalem. His ergo tot, tantiſq; teſtimo/niis, erubeſcant Iudæi, Gentiũ conuerſarũ æmulatores, tandemq; conuicti cognoſcant: atq; audiant in Deuteronomio Dominum proclamantem, Eritis Gentes ad caput, incredulus autem popu/lus ad caudam.

¶ Quia in Chriſto filio Dei credere, cunctis Genti/bus iuſſum eſt. Cap. II.

IAcob in benedictionibus Patriarcharũ dixit, Non deficiet princeps ex Iuda, neq; dux de femoribꝰ eius, donec ueniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium. Et Dauid ex persona eiusdem Christi in Psalmis, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Pete à me & dabo tibi Gentes hæreditatẽ tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et iterum, Constitues me in capita Gentium. Populus quem non cognoui, seruiuit mihi, obauditu auris, obaudiuit mihi. Similiter & alibi de eodem Psalmographus idem sic dicit, Ante solem permanet nomẽ eius, & ante lunam sedes eius, & benedicentur in eo omnes tribus terræ, omnes Gentes seruient ei. De cuius dominatione, etiam superius sic fuerat prælocutus. Et dominabitur à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos orbis terræ. Quod testimoniũ, nec Salomoni congruit, nec Dauid. Notũ est enim, quibus terminis, regnum conclusum extitit Salomonis, sed hoc in Christo uidemus fuisse completum. Cuius ab ortu solis, usq; ad occasum, magnũ est nomen eius in Gentibus. Hic & à flumine dominandi sumpsit exordium, ubi baptizatus est à Iohanne, & peruenit per fidem in Gentibus, usq; ad terminos terræ. Item, in eisdem Psalmis de eius æterna natiuitate, & potestate in Gentibus, ita Dominus loquitur, Ante Luciferum, inquit, genui te, tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec. Iudicabit in nationibus. Et Esaias, In die illa, erit radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur. Et post alia, Leuabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ. Item idem Esaias, de Christo Domino nostro in Gentibus regnaturo, Hæc dicit Dominus Deus, creans cœlos, & extendens eos, firmans terrã, & quæ germinant ex ea, dans flatum populo, qui est super eam, & spiritum calcantibus eam, ego Dominus uocaui te in iustitia, & præhendi manum tuam, & seruaui te, & dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione uinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Ego Dominus, hoc est nomen meum, hoc

enim

enim iam constituimus esse completum pro Christo, qui lux factus est in carne ignorantiæ Gentium positarum. De quibus & ipse alibi dixit, Educam cæcos in uiam quam nesciunt, in semitis quas ignorauerunt, ambulare eos faciam. Ponam tenebras corã eis in lucem: ut impleretur quod per eundem Prophetam fuerat dictum, Gentium populus, qui sedebat in tenebris, uidit lucem magnam habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Item ipse de Gentium uocatione ad Christum, Attendite ad me populus meus, & tribus mea audite, quia lex à me exiit, & iudicium meum in luce populorum requiescit. Prope est iustus meus, egressus est saluator meus. Et post hæc, Gaudete & laudate simul deserta Hierusalem, quia cõsolatus est Dominus populum suum, redemit Hierusalem. Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium Gentium, & uiderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Adhuc per prædictum Esaiam, uox diuina, Christum in carne iudicem Gentium, ita adnunciat, Ecce, inquit, seruus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meũ super eum, iudicium Gentibus profert. Non clamabit, neq; accipiet personam, nec audietur foris uox eius. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. In ueritate educet iudicium, & legem eius insulæ expectabunt. Seruus quippe, sed ex susceptione hominis Christus, qui quoniam prius ad Iudæos ueniens, non est receptus, iudicium in Gentibus protulit: quale iudicium, nisi ut fide iustificarentur? Cuius uox non audietur foris, hoc est, in hæresibus & Iudæis extra Dei ecclesiam positis. Item de ipso in Esaia, Ecce, intelliget seruus meus, exaltabitur & eleuabitur, sublimis erit ualde, sicut obstupuerunt in te multi, sic inglorioſus erit inter uiros adspectus eius, & forma eius inter filios hominum, iste asperget Gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum. Quia, quibus non est narratum, de eo uiderunt, & qui non audierunt, contemplati sunt. Item qui supra de eo. Ecce, testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus: ecce, gentem

quam nesciebas, uocabis. ¶ Gentes quæ non cognouerunt te, ad te current propter Dominum Deum tuũ, & sanctũ Israël, qui glorificabit te. Quæ prophetia omnis, de uocatione Gentium manifesta est, quia in Christo essent credituræ. Et Abacuc, ita, inquit, Dominus loquitur, Scribe uisum aperte, & explana eũ super tabulas, ut percurrat qui legerit eum, quia adhuc uisus procul adparebit in finem, & non mentietur: si moram fecerit, expecta illũ, quia ueniens ueniet, & nõ tardabit. De incredulis autem Iudæis, ita sequitur, Ecce, qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso. Siquidem & per Aggæum, de Christo in Gentibus regnaturo, sic cecinit idem Dominus, dicens, Spiritus meus erit in medio uestri, nolite timere, quia hæc dicit Dominus: adhuc modicum, & ego commouebo cœlum, & terram, & mare, & aridã: & mouebo omnes Gentes, & ueniet desyderatus cunctis Gentibus. Quod si de Antichristo hanc prophetiã infidelis intelligat, mendacium est. Proculdubio illum non Gentes desyderant, sed soli Iudæi expectant.

¶ Quia uterq; populus, Iudæorum & Gentium, sub Christi regimine uaticiniis prophetatum uocentur. Cap. III.

ESaias dicit, Et erit in die illa, nutriet & homo uaccã boum, & duas oues, & præ ubertate lactis, comedet butyrum. Vacca boum, plebs est ex Iudæa, ueniens ex semine Patriarcharum. Oues duæ, ecclesia, ueniens de Gentibus: & idcirco duæ oues, & una uacca, quia auctior est ex Gentibus ecclesiæ numerus quàm ex Iudæa. Homo autem, qui nutriet eas, ipse est Christus, qui per Hieremiam dicit, Conuertimini filii reuertentes, dicit Dominus, quia ego uir uester, & adsumam uos, unum de ciuitate, & duos de cognatione. Et dabo uobis pastores iuxta cor meum, & pascent uos scientia & doctrina. Superius nanq; dixerat per Esaiã, Nutriet homo uaccam unam, & duas oues: quem hominem, Deus nunc semetipsum esse ostendit, qui adsumet duos de cognatione, & unum de ciuitate. Quia minor est numerus credentium

ex circun=

ex circuncisione, quàm ex præputio. Hanc autem ciuitatem Iudæam dicit, siue Hierusalē, cognationē uero eius Gentes. Pastores autem Apostolos, uel ecclesiæ doctores, Christi gratiam prædicantes. Sic & alio loco, idem ipse Hieremias Iudæos seruire Christo proclamat, Et erit in die illa, ait Dominus exercituum, Conteram iugum meum de collo tuo, & uincula illius disrumpā, & non dominabuntur eis amplius alieni, sed seruient Domino Deo suo, & Dauid regi suo, quem suscitabit eis. De quo Esaias: Ecce, dies uenient, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam super terram. In diebus illis, saluabitur Iuda, & Israël habitabit confidenter, & hoc est nomen quod uocabunt eum Dominus iustus noster. Cuius ortum propter utranq; gentem, uox patris, per Psalmistā ita adnunciat, Commemorabo superbiæ Babylonis scientibus me: Ecce, Palestina & Tyrus cū Ethiopia, iste natus est ibi. Ad Sion autem dicetur uir, Et uir natus est in ea, & ipse fundauit eam excelsus. Dominus narrabit scripturas, populos, iste natus est ibi. In Babylone Palestina & Tyro Ethiopia, Gentes significantur. In Sion uero, Hebræorum populus, quia pro utrarumq; salute gentiū, natus est Christus. Item Ezechiel Christum sub persona Dauid, super utranq; gentē sic prædicat regnaturū, Rex, inquit, unus erit, omnibus imperans, & non erunt ultra duæ gentes, nec diuiduntur amplius in duo regna, nec polluuntur ultra in Diis suis, & saluos eos faciam de uniuersis sedibus suis, in quibus peccauerunt, & mundabo eos: & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus. Et seruus meus Dauid, rex super eos, & pastor unus erit omnibus eorum: quia Christus rex Iudæorum est. Esaias indicat dicens, Dicite filiæ Sion: ecce, rex tuus uenit tibi, iustus & saluans, pauper, sedens super asinum indomitum. Danihel autem Propheta, potestatem Christi, non solum super Gentes, sed etiam super Iudæos à Deo patre datam, scribens, sic ait, Aspiciebam in uisione noctis: & ecce, cum nubibus cœli, quasi filius hominis ueniebat, & usq; ad antiquum dierum perue

nit, & in conspectu eius obtulerunt eum. Nam posteaquàm dixit eum adsumptum in cœlũ, & perductum usq; ad patrem, adiecit, Et data est ei potestas, & honor, & regnum, & omnes populi, tribus & linguæ, ipsi seruient. Quæ tribus? nisi Hebræorum populus. Quæ linguæ? nisi Gentium nationes. Amos quoq; Propheta ad Christi regnum Iudæos sic prouocat, dicens, Præparate in occursum Domini Dei tui Israël: quia, ecce ego firmans tonitruũ, & creans spiritum, & adnuncians hominibus Christum suum. Sic & Esaias, Domus Iacob uenite, & ambulemus in lumine Domini. De quo Dauid ait, In lumine tuo, uidebimus lumen. Inter hæc & Micheas Propheta, dum locum originis Christi declararet, ita eum, super Israël dominaturum, subiunxit, Et tu inquit, Bethlehem, domus Eufrata, non es minima in milibus Iuda, ex te mihi prodiet dominator in Israël. Quo loco, ostendit Christum Dominum esse Iudæorum, eiusq; regimine eundem populum subiugandum, ubi & potestatem eius per uniuersum mundũ ita prænunciauit, Stabit, inquit, & uidebit, & pascet gregem suũ in uirtute Domini, in honorem nominis Dei sui erunt, quoniã nunc magnificatur usq; ad terminos terræ, & erit iste pax. Cuius aduentum Iudæis prædicandum, Esaiæ sic Dominus loquitur, Super montem excelsum ascende tu, qui Euangelizas Sion, exalta in fortitudine uocem tuam, qui Euangelizas Hierusalem, dic ciuitatibus Iuda, nolite timere: ecce Deus uester, ecce Dominus Deus in fortitudine ueniet, & brachium eius dominabitur: ecce, merces eius cum eo, & opus illius coram eo: sicut pastor gregem suum pascit, in brachio suo congregabit agnos. Zacharias autẽ Propheta, de Christi regno, in Iudæis & Gentibus, ita proclamat, Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem: ecce, rex tuus uenit tibi iustus, & saluator, & ascendens super asinum, & super pullum asinæ, & potestas eius à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad fines terræ. Quæ Prophetia, quomodo fuisse cõpleta in Christo, Euangelia ipsa testantur.

¶ Nam & quia prius Gentes credere poterant in Christũ, & postea Iudæi. Cap. IIII.

Dauid

DAuid Propheta oſtendit, uidens enim quod ad Iudæã redi mendã ueniſſet Dominꝰ, ſed ante gentilitas crederet, & poſt modũ Iudæa ſequeretur, dicit, Aethiopia præueniet manus eius Deo, id eſt, priuſquã Iudæa credat, ſaluandam ſe offert omnipo tenti Deo, peccatis nigra gentilitas, ſicut & Eſaias ait, Donec ple nitudo Gentium introeat, & ſic omnis Iſraël ſaluus fiat. Et Deute ronomio, Eritis Gentes in caput, incredulus autem populus in cauda, quaſi in nouiſſimo conuerſurus.

¶ Et quia in finẽ mundi in Chriſtũ crediturí ſunt Iudæi. Cap. V.

TRanſeuntibus quippe iſtis carnalibus Iudæis, poſtea in no uiſſimis tẽporibus, filii eorũ in Chriſto crediturí ſunt, Oſea Propheta teſtãte, Quoniã diebus multis, ſedebũt filii Iſraël ſine rege, ſine principe, ſine ſacrificio, ſine altare, ſine ſacerdotio, ſine manifeſtationibus: utiq; quemadmodũ nũc eſſe uidentur. Deinde ſequenter adiungit, Et poſtea reuertentur filii Iſraël, & in quirent Dñm Deũ ſuũ, & Dauid regẽ ſuũ, & ſtupeſcent in Dño, & in bonis ſuis, in nouiſſimis diebus. Quæ omnis Prophetia procul dubio de Chriſto eſt, qui in Dauid nomine ſignificatur, de cuius ſemine ſecundũ carnẽ eſt genitus. De quo Eſaias dicit: Ecce, dies ueniẽt, dicit Dñs, & ſuſcitabo Dauid germẽ iuſtũ, & regnabit rex, & ſapiẽs erit, & faciet iudiciũ & iuſtitiã ſuper terrã. In diebus illis, ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit cõfidẽter, & hoc eſt nomẽ quod uocabunt eũ Dñs iuſtus noſter. Malachias quoq; ante finẽ mundi, Heliã ſic dicit eſſe mittendũ, ad cõuerſionẽ Iudæorũ: Ecce, ego mit tam uobis Heliã Prophetã, anteq; ueniat dies Dñi magnꝰ & horri bilis, & cõuertet cor patrũ ad filios, & cor filiorũ ad patres eorũ. An te aduentũ enim iudicii, mittet Dñs Heliã, ad cõuertendũ cor filio rũm, ad cor Patriarcharũ & Prophetarũ, ut credat poſteritas eo rum in Domino Ieſu Chriſto, quem illi Prophetantes expectaue runt. Nam ſi hactenus Iudæi recte credunt, quid eſt, in quo per Heliam cõuerti eos in nouiſſimo Propheta teſtatur? Nunc enim mente cæcati ſunt, nec poſſunt intelligere Saluatorem, quem au diunt, niſi in finem mundi, dum fuerit conſummatio ſeculi,

Pronunciat enim hoc Dominus per Esaiam Prophetam, dicens, Audite audientes, & nolite intelligere, & uidete uisionem, & nolite cognoscere: excæca cor populi huius, & aures eius adgraua, & oculos, ne forte uideant oculis suis, & auribus suis audiant, & corde suo intelligant, & conuertantur, & sanem illos. Et dixit Propheta, Vsquequo Domine? Et dixit Dominus, Donec desolentur ciuitates absq; habitatore, & domus sine homine, & terra relinquetur deserta, & longe faciet Dominus homines. Tunc conuertetur, & erit in ostensione sicut terebinthus, & sicut quercus, quæ expandit ramos suos, semen sanctum erit quod steterit in ea. Ecce, adparet eos nunc à lumine fidei & ueritatis esse alienos. Audiunt enim Christum, & non intelligunt: uident, & non agnoscunt. Sed quamdiu ita erunt? quousq; subuertantur urbes, & terra pene redeat in deserto. Tunc enim conuersi uidebunt, credituri in Christo, atq; intelligẽtes, sanabuntur, & cognoscent omnia. Iuxta quod & Hieremias eis dicit, In nouissimo dierum, cognoscetis ea. De hac nouissima credulitate Iudæorum, & Sophonias sic dicit, In tempore illo, saluabo claudicantem, & eam quæ eiecta fuerat, congregabo. Et ponam eos in laudẽ, & in nomen in omni terra confusionis eorum, in tempore illo, quo adducam uos, & in tempore, quo congregabo uos. Dabo enim uos in nomen, & in laudem in omnibus populis terræ, cum conuertero captiuitatem coram oculis uestris, dicit Dominus. Claudicantẽ, plebem Iudæam dixit, quæ nunc à semitis fidei claudicat. Sicut Psalmus testatur, dicens, Et claudicauerunt à semitis suis. Et hãc se saluaturum in nouissimo, Deus pronunciat, dum dicit, Saluabo claudicantem. Et per Ezechielem, Post dies, inquit, multos uisitaberis, & nouissimo annorũ uenies. Et paulo superius, quia baptizandi sunt. Tollam, inquit, uos de Gentibus, & congregabo uos de uniuersis terris, & adducam uos in terram uestram, & effundam super uos aquam mundã, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris, & ab uniuersis Idolis uestris, mundabo uos. Et dabo uobis cor nouũ, & spiritũ nouum ponam in medio

uestri.

uestri. Et auferam cor lapideũ de carne uestra, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini, & habitetis in terra, quam dedi patribus uestris: & eritis mihi in populum, & ego ero uobis in Deum. Et saluabo uos ex uniuersis inquinamentis uestris. Hic est enim populus in nouissimis conuersurus, quem Iacob Patriarcha sub figura Beniamin, Lupum mane comedentem prædam, & uespere spolia diuidentem prophetat: utiq; quia initio mundi idem populus, quasi in mane legem accepit. In uespera autem mundi, dum fuerit crediturus, diuidet inter Nouum Testamentum & Vetus. Nam de his quæ ad Israël in futuris promittuntur, ad eandẽ partem dicitur, quæ creditura est in Christo, quando in nouissimis temporibus, conuersuri sunt, quale est illud apud eundem Oseam, Et erit in loco ubi dicetur ei, Non populus meus dicetur ei, nõ filii Dei uiuentis, Et cõgregabũtur filii Iuda, & filii Israël pariter, & ponent sibimet caput unum. Hoc in nouissimis erit temporibus, quando Helia prædicante, conuertetur Iuda ad Christum, ut sit unum cũ Israël spiritaliter, hoc est, cũ populo Gentiũ, iam Deũ ex fide uidentiũ, ponentem sibimet caput unum, quod est Christus. Ascendentesq; de terra, hoc est, à carnali terrenaq; spe, ad promissa cœlestia.

¶ Sed quia plurimi, ex Iudæorum populo, non essent credituri in Christum. Cap. VI.

MOses Legislator eandem eorum incredulitatem ante prænunciauit, Et erit uita tua pendens ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credes uitæ tuæ. Vnde & Esaias, Domine, quis credidit auditui nostro, & brachiũ Domini, cui reuelatum est? & uidemus eum, & non erat adspectus. Quibus uerbis, incredulitatem Iudæorum designat, qui Christum uidentes, non receperunt: quem quia, nec credere, nec cognoscere potuerunt, ilico excidium habituri: sic Hieremias prædixit, Ascendite muros eius, & dissipate, auferte propagines eius, quia non sunt Domini. Præuaricatione præuaricata est in me domus Iuda, ait Dominus, Negauerunt me, & dixerunt, non est ipse. Hoc

nunc usq; Iudæi pro Christo dicũt, nõ est ipse, expectãtes aliũ, qui est Antichristus. Vnde & Dñs, Ego, inquit, ueni in nomine patris mei, & nõ recepistis me: alius ueniet in noie suo, & recipietis eũ. Itẽ, apud eundẽ Hieremiã, Ecce, sermo Dñi factus est eis in obprobriũ, & nõ suscipiũt illud usq; adhuc: quia, Gentibus obediẽtibus Christo, Iudæi eũ nõ essent recepturi, in Psalmis ostenditur. Nã cũ per Prophetã diceret idẽ Christus, Constitues me in caput Gentiũ, & populus, quem non cognoui, seruiuit mihi. Continuo subiunxit incredulitatẽ Iudaicam, dicens, Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inueterauerunt, & claudicauerunt à semitis suis. Qui sunt alieni, nisi Iudæi? qui recte alieni nuncupantur, pro eo, quod in perfidia permanentes, ab æternæ uitæ præmiis abdicati sunt, quæ nobis secundum fidem, à Dei filio promittuntur. Hæc quoq; in Christo Iudæorum praua incredulitas, etiam per Esaiam ita est adnotata, dicente Domino illis, Audite audientes, & nolite intelligere: & uidete uisionẽ, & nolite cognoscere: excæca cor populi huius, & aures eius adgraua & oculos, ne forte uideant oculis suis, & auribus suis audiant, & corde suo intelligant, & cõuertentur, & sanem illos. Et alio loco, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentẽ, qui ambulant uias non bonas. Quibus Heremias, Audite populus stultus, & sine corde: oculi sunt illis, & non uident, aures sunt illis, & non audient: aut me non timebitis, dicit Dominus, aut à facie mea non formidatis, qui constitui terminum maris, harenam, imperium æternum, & non transgredietur illud. Et turbabitur, & non poterit, & resonabunt fluctus eius, & non transgredietur illud. Populo autem huic factum est cor inobediens, & incredulum. Et alibi idem ipse, Quomodo dicitis sapientes nos sumus, lex Domini nobiscum est, uere mendacium operatus est stylus mendax scribarum. Confusi sunt sapientes, & perterriti, & capti sunt: Verbum enim proiecerunt, & sapientia nulla est in eis. De quibus Esaias, Qui peccare, inquit, faciebant homines in uerbo, & declinauerunt frustra à iusto. Pro quo eos

idem

idem Propheta ita increpat, dicens, Audite me, duro corde, qui longe estis à iustitia, Prope feci iustitiam meam, non elongabitur, & salus mea nō morabitur. Dabo in Sion salutem, & in Hierusalem gloriam meam. Ipse autem Propheta, & credulitatem Gentium, & incredulitatem Iudæorum in Christo ita adnunciat, Quæsierunt me, qui ante non interrogabant: inuenerunt me, qui non quæsierunt. Dixi: ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ nō inuocabat nomen meum, expandi manus meas tota die ad populum incredulum. Quæsierunt enim nunc Gentes, quæ ante non interrogabant, quia ad eos Prophetæ non ueniebant: & inuenerunt, quando illis Christū nunciauerunt. Quid uero Iudæa plebs, nisi quod sequitur, Expandi manus meas ad populum incredulum? Et iterum de eadem repromissione Gentium, Et erunt campestria in caulas gregum, & uallis achor in cubile armentorū populo meo, qui requisierunt me. Et uos, qui reliquistis Deum, numerabo uos gladio, & omnes in cæde conruetis. Cuius ergo populi sunt iste repromissiones, nisi Gentiū, qui requisierunt Deum. De quibus superius ait, Quæsierunt me, qui ante non interrogabant. Et qui sunt, qui reliquerunt Deum, & conruerunt cæde, nisi Iudæorū populus. De quo iam ait, Expandi manus meas ad populum incredulum Contra hunc sunt quæ sequuntur, Ecce serui mei comedent, & uos esurietis: quia uescente pane Verbi Dei, uocato ex Gentibus populo, Iudæa arescit ieiuna.

¶ Et quia ob incredulitatē Iudæorum, Christus Iudæam desereret, transiretq; ad Gentes. Cap. VII.

HIeremias Propheta prædixerat, dicens, Tibi peccauimus, expectatio Israël saluator eius. Quare sicut colonus futurus es in terra, & quasi uiator declinans ad manendum. Quare futurus es quasi uagus uir, & qui non potest saluari. Quid ergo in hac sentētia intelligitur? nisi quia uidebat Propheta in spiritu, quod ueniens Christus, relicturus esset Iudæam, & iret per fidē in Gentibus. Idcirco dicebat, Quare sicut colonus futurus es in terra, & sicut uiator declinans ad manendum. Hoc est, uenisti in terra ci-

to recessurus à Iudæis. Sicut & alibi ex persona Dñi idẽ Propheta dicit, Quis dabit me in solitudine diuersoriũ uiatorũ, & derelinquã populũ meũ, & recedam ab eis, quia omnes adulteri sunt cœtus præuaricatorum, & extendunt linguam suam, quasi arcum mendacii, & non ueritatis. Vox enim ista Christi est, qui in solitudine Gentium diuersorium, id est, ecclesiam constituit, in qua conuerterentur errantes, derelinquens populum Iudæorũ. Quibus per Malachiam dicit, Non est ultra mihi uoluntas in uobis, dicit Dominus. Ab ortu enim solis, usq; ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus. Cum illis enim ante fuit Deus, sed postquàm pro peccato suo abiecti sunt, redemptor mundi in populo Gentium transiit. Cuius uniuersitas, nunc per totum orbem terrarum exultat & dicit, Magnificauit Dominus facere cum illis. Magnificauit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes. Ad populum enim Israël, prius uenit Christus: sed quod non essent credituri, Propheta non tacuit, dicens, Prius ad Sion dicet: ecce adsum, & Hierusalem Euangelista m dabo, & uidi, & non erat: neq; ex istis quisquàm qui inierit consilium, & interrogatus, responderet uerbum. Sed quia ad Gentes transiit: Sequitur, Ecce seruus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum, iudicium Gentibus profert.

¶ Quia proiectis Iudæis, Gentes introierunt. Cap. VIII.

ECce, ostensum est Iudæos pro scelere, quod in Christo peccauerunt, abiectos, dispersosq; fuisse, sed quia proiectis illis, Gentes in eorum sedibus per fidem erant successuræ. Non siluerunt & hæc Prophetæ. Esaias enim sic dicit, Educ foris populum cæcum, & oculos habentẽ: surdum, & aures eis sunt, omnes Gentes congregatæ sunt simul, & collectæ sunt tribus. Quis in uobis adnunciet istud? & quæ prima sunt, audire nos faciat: ecce, foras educitur Israël habens oculos, & aures ad terrenas promissiones, & colligetur in unum diuersitas Gentiũ, ut ubi illi uocati sunt, isti

ingrediantur.

ingrediantur, & ad istos pertineat hæreditas, quæ illis fuerat repromissa: adhuc quia eadem Gentes in sedibus Iudæorum successuræ erant, idem Propheta alio loco adprobat, dicens, In die illa, cantabitur canticũ istud in terra Iuda, Vrbs fortitudinis nostræ Sion, saluator ponetur in ea, muros & ante murale, aperite portas, ingrediatur gens iusta, & custodiens ueritatem, uetus error abiit. Seruabis pacẽ, quia in te sperauimus: quia incuruabit habitantes in excelso. Ciuitatem sublimem humiliauit, humiliauit eam usq; ad terram. Detrahet eam usq; ad puluerem, & conculcauit eam pes pauperis, gressus egenorum. Quo uaticinio ostenditur, iustum, humilemq; Gentium populum successisse in locum, quem superba plebs Iudæorũ perdiderat. Talia & alibi idem Propheta, sub gratiarumactione Domino dicit, Domine Deus meus es tu, & exaltabo te, confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, & cogitationes antiquas fideles, Amen: quia posuisti ciuitatem in tumultum, urbem firmam, in ruinam, domum alienorum, ut non sit ciuitas, & in sempiternum non ædificetur. Super hoc laudabit te populus fortis, ciuitas Gentium robustarũ, timebit te. Alio quoq; in loco ad eosdem Iudæos sub exprobratione, ita loquitur, dicens, Et dimittetur nomen uestrum in iuramentum electis meis: uos autem interficiet, & seruos suos uocauit nomine alio: in quo, qui benedictus est super terram, benedicetur à Deo, Amen. Et qui iurat in terra, iurabit in Deo, Amen. In terra itaq; iurat, id est, in carne à Christo accepta: in quo, qui cunq; iurat, uere in Deo iurat.

¶ Quia propter peccatum, quod in Christo prænaricati sunt Iudæi, inde debellati atq; dispersi sunt. Cap. IX.

ESaias prænunciauit, dicens, Ipse redemit eos, & portauit eos, & leuabit eos cunctis diebus seculi. Ipsi autẽ ad iracundiam prouocauerunt, & adflixerunt spiritum sancti eius, & conuersus est eis in inimicum, & ipse debellauit eos. Item per Oseam Prophetam, Væ, inquit, eis, quia recesserunt à me: & uastabun

tur, quia præuaricati sunt in me. Ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia, & recesserunt à me, & ego erudiui eos, & confortaui brachia eorum, & ipsi in me cogitauerunt malitiam. Reuersi sunt, ut essent absq; iugo, facti sunt quasi arcus dolosus. Abiecit eos Deus meus, quia non audierunt eum, & erunt uagi in nationibus. Et Esaias, posteaquàm prædicauerat de Christo, dicens, Tanquàm ouis ad occisionem ductus est. Subiecit statim, Propter scelus populi mei, percussi eum, & dabo impios pro sepultura eius, & diuites pro morte eius. Et reliqua. Et per Hieremiã, idẽ filius pro sua passione Iudæorũ sic infert fuisse perditionẽ, dicit enim, Facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in sylua, dedit contra me uocem, ideo odiui eam. Nunquid auis discolor hæreditas mea mihi? nunquid auis tincta per totum? Venite congregamini omnes bestiæ terræ, properate ad deuorandum. Congregamini dixit, uenerunt enim bestiæ agri, hoc est, feroces principes Gentium, & traditi sunt illis ad deuorandum populi Iudæorũ, propterea q; contra Deũ uocem dederunt. Vnde & subiungit, Propter me exterminata est exterminatione omnis terra. Christi enim hæc uox est. Multa enim prius peccata fecerũt filii Israël, sed nunq; sic traditi sunt tam longæ perditioni & captiuitati. Quãdo autem compleuerunt mensuram patrum suorum, & post prophetarum necem, Christum interfecerunt, tunc peccata peccatis cumulantes, traditi sunt in longam exterminationem. Idcirco nunc dicitur, Propter me exterminatione exterminata est omnis terra. Quod quia non intelligunt, proinde se traditos direptioni, Esaias Propheta hoc ante prænunciauit, dicens, Effudit Dominus super populum suum indignationẽ furoris sui, & forte bellum, & combussit eum in circuitu, & non cognouit, & succendit eum, & non intellexit. Quorũ interitũ, mœrẽs Hieremias Propheta, ita deplorat, Facti sunt, inquit, filii mei perditi, quoniã inualuit inimicus. Et iterũ, Quos educaui & nutriui, inimicus meus cõsumpsit eos.

¶ Quia propter quod negauerunt Christum, inde subuersa est Hierusalem. Cap. X.

Per Hiere-

PEr Hieremiam sic prædicat idem Dominus Dicens, Ascendite muros eius & dissipate, auferte propagines eius, quia non sunt Domini. Præuaricatione enim præuaricata est in me domus Iuda, ait Dominus, Negauerunt me & dixerunt, non est ipse. Item Esaias, Ruit Hierusalem, Iuda concidit, quia linguæ eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum. Quo testimonio, demonstrat urbem Hierusalem, & prouinciam Iudææ pariter concidisse, causamq; ostendit sceleris eorum, quia contra Dominum blasphemauerunt, dicentes, Tolle, tolle, crucifige talē. Nos non habemus regem, nisi cæsarem. Siquidem & Dauid propter Christi passionem, futuram urbis, ac Iudæorum calamitatem, ex persona eiusdem Christi, ita prædixit, quando illi sicut Euangelium loquitur, dederunt fel atq; acetum, Dederunt, inquit, in esca mea fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem & in scandalum. Effunde super eos iram tuam, & indignatio iræ tuæ, adprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum, non sit qui inhabitet. Hoc enim postea expletū est, quod fuerat ante prædictū, factū est enim in hac ipsa urbe Hierusalem. Nam postquàm Christū amaritudine potauerunt, & postquàm clamauerunt aduersus filium Dei, ut occideretur, successit deinde uindicta à Domino. Debellata est ciuitas, expugnati Iudæi, multaq; milia interfecti. Nullusq; illuc modo permittitur accedere Iudæorū, ubi Christum crucifigendum adclamauerunt. Itē in Danihelo, angelus ille, postq̄ occisionem Christi prædixit, subsecutam protinus subuersionē Hierusalem pronunciauit, dicens, Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cū duce uenturo, id est, Romanus exercitus, cum Vespasiano. Cuius uastitati, Esaias Propheta, lamentabile carmen composuit, in quo eadem Hierusalem plangitur, & ruina illius perpetua, sermone Prophetico decantatur, sub similitudine uineæ, quā plantauerat Deus. Turrem & torcular, templum, scilicet & altare. Quæ hæc igitur uinea quādiu uberrimos adtulit fructus, habuit custodem Deū.

De quo scribitur, Non dormitabit, neq; obdormiet, qui custodit Israël. Postquàm uero spinas attulit creatori, reliquit eam Deus, & statim uastauit eam aper de sylua, & uindemiauerunt eam omnes transeuntes uiam. Ita dicente Domino, Et nunc ostendam uobis, quid facturus sim uineæ meæ. Auferam maceriam eius. Hoc est, tollam angelorum auxilium. De quibus in Psalmis scriptum est, Emittit angelum Dominus in circuitu timentium eũ, & eripiet eos, & diripietur ab aduersariis. Destruam muros eius, ut inimicis Gentibus pateat. Et nubibus mandabo desuper, ne pluant super eam pluuiam, quod nõ de priore captiuitate prophetatum est. Illo enim tempore, post captam urbem, & Hieremias prophetauit. Et Danihel, & Aggæus, & Zacharias, futura dixerunt. Sed hoc de nouissima captiuitate prædictum est, quia post passionem Domini, nec Prophetas, nec Apostolos habuerunt Iudæi, qui imbres præberent uirtutum. Sed econtrario illud eis accidit, quod in Leuitico peccantibus eis promisit Dominus, Ponam cœlum uobis æreum, & terram ferream. Et in Deuteronomio, Erit cœlũ super te æreum, & terra sub te ferrea. Et rursum, Dabit Dominus pluuiam terræ tuæ, & cinis de cœlo descendet super te, donec tradat te & deleat. Sed quare ista acciderunt illis, quia spectauit Deus, ut facerent iustitiam, & largitorem tantorũ munerum susciperent. Illi autem fecerunt spinas, quibus Christũ coronauerunt. Fecerunt & clamorem, quo uociferati sunt contra Dominum, ut crucifigeretur.

¶ Despretis Iudæis, & synagogæ reprobatio. Cap. XI.

PEr Esaiam sic Dominus loquitur, Quis est hic liber repudii matris uestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui uendidi uos? Ecce, in iniquitatibus uestris uenditi estis, & in sceleribus uestris, dimisi matrẽ uestrã. Similiter & per Oseã, Iudicate matrem uestram, iudicate, quoniã ipsa non est uxor mea, nec ego uir eius. De cuius populi reprobatione, & per Hieremiã, Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam: facta est mihi hæreditas mea sicut leo in sylua, dedit super me uocem suam,

propterea

propterea odiui eam. Esaias autem Iudæorum captiuitatem æternam, sic exprimens, dicens, Terra uestra deserta, ciuitates succensæ igni, regionem uestram in conspectu uestro alieni deuorabunt, & desolabitur sicut in uastitate hostili. Quæ captiuitas & licet sub Babylonis tẽpore ex parte cõpleta sit, plenius tamẽ sub Romana captiuitate impleta est, quando uniuersam Iudæã Romanus uastauit exercitus, atq; urbs Hierusalẽ euersa atq; succensa est.

¶ De perpetua nanq; ruina Hierusalem. Cap. XI.

ESaias ait, Desolabitur sicut in uastitate hostili, & derelinquetur filia Sion, sicut umbraculum in uinea. Ita enim euersa est Hierusalem, & destituta manifestatis sacramentis Christianæ ueritatis, quemadmodum deseruntur tabernacula uinearum, expletis uindemiis. Nam sicut tabernaculum non sui caussa, sed uindemiæ fit, ita & uetus populus, nõ suæ caussa salutis, sed Christianæ extitit ueritatis. Item ipse, Super humum, inquit, populi mei, spinæ & uepres ascenderunt: quanto magis super omnes domos gaudii, ciuitatis exultationis? Domus enim, inquit, dimissa est, multitudo orbis relicta est, tenebræ & palpatio factæ sunt super speluncas usq; in æternum. Item idem Esaias, perpetuam ruinam terrenæ Hierusalem, & uocationẽ Gentium ita pronunciat dicens, Dñs Deus meus es tu, & exaltabo te, confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, & cogitationes antiquas fideles, Amen. Qui posuisti ciuitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum, ut non sit ciuitas, & in sempiternũ non ædificetur. Super hoc laudabit te populus fortis, ciuitas Gentiũ robustarũ timebit, quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, umbraculũ abæstu. Spiritus enim robustorũ, quasi turbo impellens parietẽ, sicut æstũ in siti, tumulũ alienorũ humiliabis: & quasi calorẽ sub nubẽ torrẽtem, propagines fortiũ marcescere facies. Et faciet Dñs exercituũ omnibus populis in monte, hoc conuiuium pinguium medullatorum uindemiæ defecatæ, Et Ezechiel, Porro cum dedero, inquit Dominus, gloriam in terra uiuentium. Hoc uero demon-

ſtrans, futuram eccleſiæ ex Gentibus claritatem, ad terrenã Hierusalem uertit ſententiam oraculi, dicens, In nihilum redigam te, & non eris, & quæſita, non inuenieris ultra in ſempiternum. De cuius quoq; urbis ruina perpetua, ſic etiam dicit Dominus ad Hieremiam, Et conteres lagunculam in oculis eorum, qui bibũt tecum: & dices ad eos, Hæc dicit Dominus exercituum, ſic conteram populum iſtum, & ciuitatem iſtam, ſicut conteritur uas figuli, quod non poterit ultra reſtaurari. Sophonias autem æternã deſertionem ipſius ciuitatis ſic prædicit, Hæc eſt, inquit, ciuitas glorioſa, habitans in confidentia, quæ dicebat in corde ſuo: Ego ſum, & extra me non eſt alia amplius, quomodo facta eſt in deſertum cubile beſtiæ, omnis qui tranſit per eam, ſibilabit, & mouebit caput ſuum. Væ prouocatrix & redempta ciuitas, columba non audit uocem, & non ſuſcepit diſciplinã. Ad ultimum quoq; Danihel, ita deſtructionem Hieruſalem indicat, uſq; ad conſummationem mundi perſeuerare, Poſt hebdomadas, inquit, ſeptuaginta duas, occidetur Chriſtus, & non erit eius, & ciuitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce uenturo, & finis eius uaſtitas. Et poſt finem belli, ſtatuta deſolatio, & deficiet hoſtia, & ſanctuarium, & in templo erit abominatio deſolationis, & uſq; ad conſummationem & finem, perſeuerabit deſolatio.

¶ Quia Iudæi iuxta ſpem ſuam nunquam reparabuntur. Cap. XII.

HIeremias dicit, Ciuitates auſtri, clauſæ ſunt: translata eſt omnis Iudæa tranſmigratione perfecta, id eſt, inreuocabili captiuitate. Item ipſe, Quia oblitus eſt mei populus meus, fruſtra libantes, & impingentes in uiis ſuis, & in ſemitis Iſraël, ut ambularent per eas in itinere non trito, ut fieret terra eorum in deſolationem, & in ſibilum ſempiternum. Omnis qui præterierit per eam, obſtupeſcet, & mouebit caput ſuũ, ſicut uentus urens dirigam eos. Hanc etiam ſempiternam carnalis Iſraël deſolationem, idem Propheta alibi proclamat, dicens, Argentum reprobatũ uocate eos, quia Dominus proiecit illos. Et poſt paululum,

Et dere-

Et derelinquam populum meum, & recedam ab eis. Et alio loco, Et derelinquam uos, & ciuitatem uestram, quam dedi uobis, & patribus uestris. Et dabo uos in obprobrium sempiternũ, & in ignominiam æternã, quæ nunquàm obliuione delebitur. Amos quoq; Propheta, de his plenissime prædicat, atq; ita auersatum Deum dicit ab Israël, ne illis unquàm misereatur, sed inseparabiliter in æternum desolationem permaneant. Sic enim ait. Audite uerbum hoc, quod ego leuo super uos planctũ, Domus Israël cecidit, cecidit, non adiiciet, ut resurgat. Virgo Israël proiecta est in terram suã, non est qui suscitet eam. Ecce, ubi sic cecidit plebs illa, ut non resurgat. Siquidem & ceremonias carnales eiusdẽ plebis, sic cadendo euacuat, ueniente ueritate, ne aliquãdo queant resuscitari, cũ dicit, Proiecta est in terrã suam, non est qui resuscitet eam. Quod ueraciter de ipsa terrena accipitur Iudæorũ spe. Sequiturq; in eodẽ Propheta, Venit finis super populũ meum Israël, non adiiciã, ut pertranseã per eum, & stridebunt cardines templi in die illa dicit Dñs. Multi morientur, in omni loco proiicietur silentium. In cuius prophetico textu tertio repetit, sic se auersatum fuisse ab Israël Deum, ne illis, ut prædixi iuxta spem ipsorum unquàm misereatur. In prioribus enim dicit, Cecidit, non adiiciet, ut resurgat uirgo Israël. In secundo dicit, Ecce, ego ponã trullã in medio populi Israël, non adiiciam ultra, inducere eũ. Tertio quoq; dicit, Venit finis super populum meũ Israël, non adiiciã ultra, ut pertranseam per eum. Quæ omnia pertinent ad carnale ipsius populi regnum, uel obseruantiam, quia ultra inreparabilia erunt. Nam illæ repromissiones reparationis, quas eorum prophetarum sermo complectitur, illi parti promittuntur, quæ ex Iudæis in Deum creditura est, nam nec omnes Iudæi redimendi sunt, nec omnes salui erunt. Sed sceleratis & peccatoribus contritis, atq; consumptis, hi qui fideles electi fuerint, saluabuntur.

ℭ Sed quia euacuatio carnaliter eodem Veteri Testamento, Nouum Testamentum eisdem daturus est Deus. Cap. XIII.

CLarissime per Esaiam Prophetam Dominus adnunciat, dicens, Ne memineritis, inquit, priorum, & antiqua ne intueamini: Ecce, ego facio noua, & nunc orientur, utique cognoscetis ea, ponam in deserto uiam, & in inuio flumina. Glorificauit me bestia agri, dracones & struthiones, quia dedi in deserto uiam, flumina in inuio. Talibus enim uaticiniis legem Veteris Testamenti commendat obliuisci, & Noui facit mentionem, dicendo, Ne memineris priorum: ecce, facio noua. Et ut demonstraret, quæ essent noua, tum adiecit, Ponam in deserto uiam, & in inuio flumina. Quo significaret, in Gentibus suã dedisse doctrinam, ubi glorificat eum bestia agri, dum ipsum credentes conlaudant, etiam regna mundi, quem populũ sibi adquisitum dicit. Cæterum contra Israël, quæ sequuntur, adiungit, Nonne inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israël. De cuius quidem Noui Testamenti promissione, sequenter idem Dominus per eundem Prophetam, ita adnunciat, Quæ prima fuerunt: ecce, uenient, noua quoq; ego adnuncio, antequam oriantur, audita uobis faciam. Quibus uerbis & Vetus Testamentũ uenisse declarat, & Nouum adnunciat, quod Christiana ætate completum est. Prima enim, sunt uetera nouorum, sed ordine, nõ dignitate. Vnde & pacta quæ tempore posteriora sunt, euacuatis anterioribus, maiora priorũ habentur. Per Hieremiã quoq; Prophetam, Testamentum Nouum se daturum, euacuato priore sic Dominus pollicetur, Ecce, dies uenient, dicit Dominus, & feriam domui Israël, & domui Iuda fœdus nouum: non secundun pactum, quod pepigi cum patribus uestris, in die, quãdo adprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti, pactũ quod inritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc est pactũ, quod feriam cum domo Israël. In quo loco uocationis Prophetarum Testamenti Noui est facta commemoratio, quod quia discrepare potuit à Veteri Testamẽto, inde adiungit, Non secundum testamentum, quod dedi patribus eorum. Est enim in utroq; mirabilis differentia præceptorum. In

illo

illo enim exceptis sacramentis, quæ umbra erant futurorum, cæ tera promissa temporalia sunt, Sabbatũ scilicet & Circuncisio, & multiplex sacrificiorum ritus, ciborumq; obseruantia, ac dierũ ceremoniæ, quæ omnia carnali congruunt uetustati. At contra, in Testamento nouo, cordis bonum promittitur, uitæ æternæ fœlicitas pollicetur. Et non quidem foris in lapideis dipticis, sed intrinsecus in tabulis cordis. Vnde & ita subiungit, Quia hoc est testamentum quod ordinabo domui Israël, post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in cordibus eorum, & in mente eorum scribam eam. Quod significaret eam, spiritaliter in cor dibus eorum operari debere, secundum interiorem hominem, uetustate carnalis operationis mutata. Intus enim circuncisio, nõ præcisione carnis, sed cordis purgatione: intus sabbatum, non per abstinentiam seruilium operum, sed per abstinentiam pecca torum. Quam legem etiam Gentibus reuelari, per Esaiã sic Do minus protestatur, dicens, Lex à me exiet, & iudicium meũ in lucem Gentiũ. Per quod ostenditur, commune esse fœdus Testa menti Noui, Iudæis & Gentibus, Osea etiam Propheta testante. In die illa, ait Dominus, uocabit me uir meus, non uocabit me ultra baalim, & auferã nomina baalim de ore eius, & non recor dabitur ultra nominis eorum. Et percutiam eis fœdus in die illa cum bestiis agri, & cum uolucribus cœli, & reptili terræ. Et ar cum, & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos fa ciam fiducialiter. Et sponsabo te mihi in sempiternum, & spon sabo te mihi in iustitia, & iudicio, & misericordia, & miseratio ne, & sponsabo te mihi fide, & scies, quia ego Dominus.

¶ De cessatione Sabbati. Cap. XIIII.

MErito Sabbatum carnaliter Iudæi custodirent, si quid sit sabbatum nossent. Nomen quidem sabbati usurpant, sed quid ipsum ualeat, ignorãt. Legẽ quippe carnaliter custodire dele ctantur, dũ tota spiritaliter intelligatur, dicente Domino per Pro phetam, Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. Ergo si lex & Prophetæ, in parabolis, & in ænigmati

bus constat, nō est accipienda sabbati obseruatio, nisi spiritaliter. Nam carnalia otia eius & à Domino & à patribus dissoluta sunt. Nam si crimen est sabbati otium non obseruare, cur Deus operatur in sabbatum. Sic enim scriptum est in Genesi, Compleuitq; Deus die septimo opus suum quod fecerat. Ergo in principio sabbatum dissolutum est, dum Deus operatur in ipso, explens cuncta in eo, & benedicens in ipso diei, quia uniuersa in illo compleuit. Item si crimen est sabbati otia nō obseruare, cur Hiesu Naue discipulus, ac successor Mosi præcipiente Domino, septē diebus continuis, inter quos utiq; & sabbatum erat, exercitum & arma produxit, atq; circumeunte Arca, tubisq; clangentibus, Hiericho muros subuertit. Quid item de Machabæis eloquar, de quibus scriptum est, Et nolebant Iudæi in die sabbati uindicare se de alienigenis. Postea consilio accepto, pugnauerunt die sabbati, & triumphauerūt de hostibus. Quibus testimoniis edocemur, non pertinere ad fidem istam sabbati elementarium diem, sed alium spiritalem: nam hoc carnale sabbatum, non est datum propter purificationem, sed propter tentationem, dicente in lege Domino, Vt tentem eos, utrum ambulent iu uiis meis, an non, sex dies colligetis manna, septimo non colligetis. Itaq; dum dicit, Vt tentem eos, adparet sabbatum non fuisse præceptum propter iustificationē, sed propter tentationē. Hinc est quod loquitur Deus per Ezechielem Prophetam, dicens, Dedi eis præcepta nō bona, Vtiq; quia quædam carnali populo carnaliter agenda permissa sunt. Quæ tamen adueniente Euangelio cessauerunt, sicut & per Prophetam dicit, Cessare faciam omne gaudium eius, & sabbata eius. Quæ quidē alias idem Dominus odisse se dicit, Neomenia, inquit, & sabbata uestra, odiuit anima mea. Ideoq;, si sabbata æterna sunt, cur ea Deus cessare mandauit? Si bona sunt, cur odiuit. Sabbatum enim, quem Israëlitæ acceperunt in munere, significat requiem mentis, ut nullo in hac uita terrenorum desyderiorum adpetitu fatigetur, nam Sabbatum requies interpretatur. Ista autem Iudæorum otiosa festiuitas consumitur in luxu-

riis,

riis, & ebrietate, commessatione deditis omnibus in libidinem & in fructu tēporalis uitæ, uentri Veneriq; uiuentibus. Sed quæritur, Si non est, inquiunt, custodiendū sabbatum, quare dictū sit in mandatis Dei, Memento, ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septima die sabbatū Domini Dei tui est, nō facies in eo omne opus. In opere enim sex dierum, sex milium annorum opera demonstrantur. Mille autem anni, apud Deum quasi unus dies comparatur, sicut testatur Propheta, Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquàm dies una. Horum dierum sabbatum, septimi millesimi anni tempus ac requies futuri regni ac seculi est, ubi iam nulla erit operatio rerum, sed requies sola sanctorum. Nam ista temporalia sabbata odit Deus, dum dicit, Neomenia & sabbata uestra, odiuit anima mea: & benedixit uestra, quia non sunt illa, quæ Deus præcepit, sed quæ sibi populus carnalis elegit. Nam de illis dixit, Sabbata mea prophanastis. Vnde dinoscitur sabbatum temporale, humanum esse. Sabbatum autē diuinum, illud æternū esse. De quo per Esaiam dicitur, Et erit, inquit, mensis ex mense, & dies de die, & sabbatum de sabbato: & ueniet omnis caro adorare in Hierusalē, dicit Dominus. Et item quæritur, quare dixerit Hieremias, Custodite animas uestras, & nolite portare pondera in die sabbati, nec inferatis per portas Hierusalem, & nolite eiicere onera de domibus uestris in die sabbati. Ergo audi eius prophetiæ mysteriū, Pondera portat in sabbato, quē dies iudicii inuenerit cū suo delicto. Pondera portat in sabbato, qui credēs in Christo nō desinet à peccato. Ipse est enī requies animarū, sicut & idē ait, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiē aniabus uestris. Adhuc tertio quæritur, quare homo ille, qui ligna colligebat in die sabbati, tam atrociter iussu Dei, fuerit à populo trucidatus, quod facile ab infidelibus præponitur. Intelligāt ergo, quia hæc omnia in typo acciderūt illis, scripta sunt enī ad correptionē nostrā. Ille enim pristinus carnalisq; qui diē sabbati uiolare ausus est, dum ligna colligeret, propter quod est & punitus,

Formam insinuabat eius qui in die iudicii cum carnali opere fuerit inuentus, id est, contraxisse ligna, fœnum uel stipulas, ad escã ignis æterni conuenientes. Hæc enim colligens, in suam perniciẽ, dum fuerit in die ultimo iudicatus, pellendus est ab omnibus angelis, & statim morte nouissima puniẽdus. Sic ergo omnia quæcunq; illis Iudæis per legẽ acciderunt, formaliter intelligẽda sunt.

De Circuncisionis consummatione. Cap. XV.

NAm tibi, post populi perpetuam captiuitatem, post urbis æternam ruinam, carnales Iudæorum obseruantias & celebrationes euacuatas enunciaui. Accipe ergo primum, caussam circuncisionis, quia enim ex semine Abrahæ secundum carnem erat Christus futurus, in quo cunctarum Gentium fuerat benedictio repromissa, & ab Abraham usq; ad Christum multa erant secula post futura, præuidens Deus, ne genus Abrahã reliquis Gentibus misceretur, & paulatim propago eius fieret incerta, populũ Iudaicum circuncisionis signo notauit, ut uiuentes inter Aegyptios atq; Assyrios, inter Babylonios, siue Chaldæos, hoc signaculo ab his uel cæteris Gentibus nationibusque distinguerentur. Deniq; per quadraginta annos in heremo nullus est circuncisus. Soli quippe sine Gentis alterius cõmixtione uiuebant: at ubi Iordanis alueum, Israëliticus transmeauit, atq; in terram repromissionis peruenit, signum circuncisionis futuro ex cõmixtione Gentium prouidit errori, quam rationabiliter esse custoditam credimus, quousq; nasceretur Christus, qui ex semine Abrahæ fuerat repromissus, qui non iam per circuncisionem carnis, sed per amputationem uitiorum mundaret corda omnium Gentium: quod non carnis circuncisionem, sed cordis, Moses filiis Israël, ita futuram prænunciabat, dicens, In nouissimis diebus, circuncidet Dominus cor tuũ, & cor seminis tui. Vnde & Hieremias præuidens iam illud proximum tempus, Iudæos ad Nouum Testamentum, & ad circuncisionem cordis, non corporis, ita prouocat, dicens, Hæc dicit Dominus uiro Iuda & Hierusalem, Nouate uobis noua le, & nolite serere super spinas, Circuncidimini Domino Deo uestro, &

ſtro, & auferte præputia cordium ueſtrorum, uiri Iuda, & habitatores Hieruſalem, ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, & ſuccendatur, & non ſit qui extinguat. Quibus uerbis admonetur Hieruſalem, à uetuſtate circunciſionis & legis, quæ ſpinis cõparatur & uepribus, ad gratiã Noui tranſire Teſtamenti, & per fidem Euangelii, cordis circunciſionem tenere, non carnis. Iuxta quod legimus Petro Apoſtolo dicente, Fide purificans corda eorum. Quam ſimiliter fidem, iam non per priſca ſignacula carnis, & iniuria corporis, ſed per nouam gratiam lauacri ſpiritalis adipiſcendam Dominus per Eſaiam adnunciat, dicens, Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini, Ecce, noua faciam, quæ nunc orientur, & cognoſcetis ea: & ut oſtenderet, quæ eſſent ipſa noua, ſubiecit, Faciam in deſerto uiam, & fluminа in loco inaquoſo, adaquare genus meũ electũ, & plebem meã quã adquiſiui. Quid ergo hoc indicabat niſi baptiſmatis purificationẽ, in qua nõ iã uetuſta circunciſione carnis quiſq; ſignatur, ſed ſola gratia ſacræ undæ, per fidem abluitur. Verum, quia hanc cordis circunciſionem, Hebræi non recipiunt, Hieremias prædixit, dicens, Omnes Gentes habent præputium, omnis autem domus Iſraël, incircunciſus eſt corde. Nam quod & ab Hieſu duce ſecundo legitur, populus circunciſus, ut ſignificaret in heremo ceſſaſſe circunciſionẽ, quæ in Aegypto exercebatur, & à Domino ſaluatore cordis circunciſionẽ, poſtmodum credentes eſſe mundandos. Et bene cultris lapideis circunciſio ſecunda fit, quia petra Chriſtus eſt, per quem ſpiritali circunciſione credentes, purgantur ab omnibus illecebris uitiorum.

ℭ De ſacrificiis. Cap. XVI.

IAm uero ueteris reprobatione, quod uictimæ eorum abiicerentur, & in abominationem tranſierint, per Eſaiam ſic Dominus dicit, Quo mihi multitudinem uictimarum ueſtrarum, dicit Dominus? plenus ſum holocauſtis arietũ, & adipe pinguiũ, & ſanguine uitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cum ueneritis ante conſpectũ meum, quis quæſiuit hæc de manibus ue-

ſtris, ut ambularetis in atriis ſanctis meis, ne adferatis ultra ſacrificiū fruſtra. Incenſum abominatio eſt mihi, Neomenia, & Sabbata, & feſtiuitates ueſtras, alias non feram iniqui ſunt cœtus ueſtri. Calendas ueſtras, & ſolennitates ueſtras, odiuit anima mea: facta ſunt mihi moleſta, laboraui ſuſtinens. Et cum extenderitis manus ueſtras, auertam oculos meos à uobis. Et cum multiplicaueritis orationem, non audiam: manus ueſtræ ſanguine plenæ ſunt. Item, ipſe de Iudæorum ſacrificiis, Facta ſunt morticinia eorum, quaſi ſtercus in medio platearū. Quæ ſunt hæc morticinia? niſi ueteris legis ſacrificia: quæ, quoniam iam remota ſunt, uelut abiecta ſtercora reputantur. Vnde & idem Propheta aliaś de ipſis eorū ſacrificiis, ſic dicit, Qui immolat bouem, quaſi qui interficiat uirū: qui mactat pecus, quaſi qui excerebrat canē: qui offert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſuillum offerat: qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat Idolo. Item Hieremias, de repulſis à Domino uictimis, & holocauſtis Iudæorum, Vt quid mihi thus de Saba offertis, & calamū ſuaueolentem de terra longinqua. Holocautomata ueſtra, non ſunt accepta, & uictimæ ueſtræ, nō placuerunt mihi. Propterea, hæc dicit Dominus: Ecce, ego dabo in populum iſtum ruinas, & ruent in eis patres, filii, ſimul uicinus, & proximus, & peribunt. Vide, quia eorum ſacrificia nō propter ſe carnaliter cōmendantur, ſed propter ſolā cordis, & fidei obedientiam, quam increduli amiſerunt. Vnde adhuc idē Propheta ſic dicit, Holocautomata ueſtra, & uictimas ueſtras comedite ipſi, quia non ſum loquutus patribus ueſtris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de uerbo holocautomatum, & uictimarum. Sed hoc uerbum præcepi eis, dicens, Audite uocem meam, & ero uobis Deus, & uos eritis mihi populus, & ambulate in omnia, quæ mandaui uobis, & bene ſit uobis: & non audierunt, nec inclinauerunt aurē ſuā, ſed abierūt in uoluptatibus, & prauitate cordis ſui mali. In qua ſentētia, ſubaudiendum eſt, Nō præcepi eis de uerbo holocautomato, quaſi illa pro ſeipſa diligerem, ſed ut eorum fidei obedientiam adproba

rem.

rem. Item ipse qui supra, Scribam, inquit, multiplices leges meas, quæ uelut alienæ computatæ sunt, hostias afferent, immolabunt carnes, & comedent, Dñs autem non suscipiet eas. Et post hæc detestans eorum sacrificia, Non libabunt, inquit, Domino uinum, nec placebunt ei sacrificia eorum, quasi panis lugentiũ: omnes qui comedent eum, contaminabuntur, non intrabunt in domũ Domini, Et Iohel, Interiit de domo Dei uestri sacrificiũ & libatio. Item Malachias, Non est mihi uoluntas in uobis, ait Dominus, & munus non suscipiam de manu uestra. Ab ortu enim solis usq; ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio mũda, quia magnum nomen meum in Gentibus, ait Dominus. Quo testimonio patet, sacrificia Iudæorum immunda esse, & reprobata, & sola oblatio Gentium, Domino esse accepta.

¶ De escis. Cap. XVII.

IN Regũ libro, sic dicit, Factus est sermo Domini ad Heliam, dicens, Surge, & uade in Sarepta Sidoniorũ, & manebis ibi. Præcepi enim ibi mulieri uiduæ, ut pascat te. Et surrexit, & abiit in Sarepta, ad portã ciuitatis, & accepit à uidua escam, & manducauit. Tunc Helias iussu Dei uasa eius repleuit, & apud ipsam alienigenam hospitatus, escis Gentibus uixit: quod fieri non liceret, nisi lex spiritaliter data fuisset. Dum enim quadam in lege, quasi non munda, in cibo damnantur, mores hominum proculdubio significantur, quia non admittit Deus in sanctis suis ad æternam uitam prædestinatis, quidquid per illa immunda animalia in moribus hominum comparatur. Omnia enim quæcunq; à Deo in ipsis primordiis mundi creata sunt, suæ uocis authoritate: non tantum bona, sed etiam ualde bona probantur. Ideo, quæcũq; in genere significantur animalium immundorũ, rectius deriuantur in moribus hominum.

¶ Hactenus ritus Iudaicos, & celebrationes diuinis testimoniis confutauimus.

Cap. XVIII.

DEhinc ſacramenta noſtræ fidei perſtringamus, manifeſtã tes primum, quia non ſolum propter Iudæos teſtamentũ legis datum eſt, ſed & propter omnes Gentes. Hæc enim Prophe ta teſtatur, dicens, Adnunciabitur Domino generatio uentura, & adnunciabunt cœli iuſtitias eius populo, qui naſcetur, quẽ fecit Dominus. Et iterũ ipſe, Donec adnunciem brachium tuũ gene rationi omni, quæ uentura eſt, potentiam tuam, & iuſtitiam tuã Deus. Et Eſaias, De Sion egreditur lex, & Verbum Domini de Hieruſalem, & iudicabit Gentes, & arguet populos multos uſq; in longinquũ. Dauid etiam in Pſalmis, Tunc dicent inter Gen tes, magnificauit Dominus facere cum illis, magnificauit Domi nus facere nobiſcum, facti ſumus lætantes. Quibus teſtimoniis manifeſtatur prius Iudæis eſſe teſtamentum legis conceſſum, poſtea uero Gentibus, quod propterea collatum eſt illis, quia in eo cognoſcere poterant Chriſtum, quem Iudæi mente cæcati, ne quaquã intelligunt.

¶ Quod legis ſcriptura, non ſolum hiſtorialiter, ſed etiam myſtico ſenſu idem ſpiritaliter ſentienda eſt Cap. XIX.

DOcet Dominus in Pſalmis, Attendite popule meus in legẽ meam, inclinate aurem ueſtram in uerba oris mei, aperiã in parabolis os meũ, loquar propoſitiones ab initio. Quod etiam & Propheta in alio Pſalmo confirmat, dicens, Inclinabo ad ſimi litudinem aurem meam, aperiam in Pſalterio ænigmata mea. In ſimilitudine enim & ænigmate, ſentiũtur omnia legis. Aeni gma enim obſcura eſt ſimilitudo, per quã monetur homo, ut cor ſuum acuat, & ad interiora intelligenda, cõfugiat. Sic quoq; Sa pientia per Salomonem dicit, Scribe legem dupliciter & triplici ter, in corde tuo. Dupliciter eni ſentitur lex, ut primũ ſecundũ hi ſtoriam, deinde ſecundum ſacramentorum intelligentiam ſentia tur. Tripliciter autem ſcribitur, dum non ſolum hiſtorialiter uel myſtice, ſed etiam moraliter, quid in unũquenq; gerere debeat, edocetur. Vnde & Arca, quæ conſtruebatur à Noe, bicamerata

& tricamerata

& tricamerata fieri iubetur, quod intra ecclesiā omnis legis materia & historia locum habeat, & mysticum sensum recipiat, & in formationem morum contineat. In parabolis enim & ænigmatibus, scripta est lex: & ipsæ parabolæ & propositiones, habent mysticas expositiones. Hinc est, quod Iudæis obtecta & clausa sunt omnia, qui nisi crediderint, ad earum intelligentiam peruenire non possunt.

¶ Quia testamentum legis, Iudæi non intelligunt. Cap. XX.

SIgnata enim habent ista omnia sacramenta scripturarum, & ignorant quod legunt. Legunt quippe omnia, & non intelligunt. Sicut de eis cecinit Dominus ad Prophetam, Dic, inquit, populo huic, auditione audietis, & non intelligetis: & cernentes uidebitis, & non scietis: Incrassatum est enim cor populi huius. Et iterum, Auferet Dominus ab Iuda, & ab Hierusalem ualidū & fortem, iudicem & Prophetam, sapientem de architectis, & prudentem eloquii mystici. Et quidem cuncta abstulit ab eis Deus, & signauit illis omnia sacramenta, iuxta duritiam cordis eorum, ne forte intelligant. Eodem Esaia testante de ipsis, Et erit, inquit, uobis uisio, sicut uerba libri signati, quem cū dederint scienti literas, dicent, lege istud: & respondebit, Nō possum, signatū est enim. Sed quidam adiecit de Scientibus, In illa die, audient surdi uerba libri huius, & de tenebris, & caligine oculi cæcorum uidebunt. Patefacta sunt enim Gentibus legis mysteria, Iudæis uero clausa sunt. Sicut & Danihel dicit, Clausi sunt, signatiq; sermones, usq; ad tempus cōsummationis, quousq; addiscant multi, & impleatur uisio, ut cognoscant omnia hæc. Nā quod & Mosi facies uelamine tegebatur, dum descenderet de monte cum tabulis, id significabat, quia præ cæcitatis caligine, Iudaicus populus legem ipsam non posset agnoscere: dum enim legitur Moses, uelamen est positum super cor eorum.

¶ Quia intelligere legem non possunt, nisi in Christum crediderint. Cap. XXI.

LOquente Esaia, Si non credideritis, nō intelligetis, iustus enim ex fide mea uiuit, ait Dominus per Prophetam. Inde & Abraham pater Gentium factus est, quia credidit Deo, & reputatū est ei ad iustitiā. Isti aūt quamuis legem & Prophetas teneāt, tamen non indulgendū est eis, Hieremia testante. Et dixit Dominus ad me, Si steterit Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum, eiice illos à facie mea, & egrediantur. Per Mosen quippe lex, per Samuelem, Prophetæ intelliguntur. Quos, quamuis Iudæi habent, propter erroris tamen impietatē, proiecti sunt. Opera enim eorum, & iustitia, sine fide Christi, nihil eis prodest. Testante Domino per Hieremiam, Quia mei oblitus es: ecce, ego adnunciabo iustitiam tuam, & opera tua non proderunt tibi.

¶ Quia duo Testamenta sunt tradita. Cap. XXII.

SEd quoniam duo testamenta, Nouum & Vetus, ab omnipotente Deo sunt tradita, Salomon in Canticis Canticorum declarat, In ianuis nostris, omnia poma, noua & uetera, frater meus, seruaui tibi. Et alio scripturæ loco, ita repromittit Deus, Dabo, inquit, uobis pluuiam temporaneam, & serotinam: Vetus scilicet testamentum, & Nouum, & utroq; imbre uos inrigabo. Imber enim, pro doctrina accipitur Testamentorum. Vnde est illud, Expectetur sicut pluuia sermo meus, & effundet super terram imbrem. De quibus & Dominus dixit, Simile est regnum cœlorū patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & uetera.

¶ Quia baptismus in remissionem peccatorum cunctis fuerat repromissus. Cap. XXIII.

ET quia per baptismum erat purgatio peccatorum futura, nō per circuncisionem, quæ baptismi fuerat forma, Scripturarum uoces idipsum aperte declarant, Esaias enim futurum baptismi mysticum, sic præcinebat futuris credentibus, dicens, Hauritis aquas cum gaudio de fontibus Saluatoris. Quibus uerbis etiā ipsum Saluatorem ostendit Propheta, de cuius fontibus, aquas purificationis prædicat hauriēdas, id est, de fontibus HIESV,

Hoc enim

Hoc enim Hebræorum lingua, Saluator, exprimitur. Vnde & ipse clamabat, Si quis sitit, ueniat ad me & bibat. Ad quod baptismi sacramentum, idem Esaias Iudæos & Gentes, ita prouocat, dicens, Omnes sitientes, uenite ad aquas. Has aquas, & hunc fontem, & per Iohelem prænunciabat Spiritusanctus, dicens, Distillabunt, inquit, montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes riuos Iuda, ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit orbem terrarum, id est, uniuersitatem omniũ Gentiũ. De hoc fonte & Zacharias, In die, inquit, illa, erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem, in ablutionẽ peccatorum, & menstruatæ. Dic, quæso, quis est iste fons patens? nisi, in quo omnes renascimur, per quẽ & peccatorum purificantur delicta, & sordes menstruatæ, hoc est, immundæ animæ salutari lauacro abluuntur. De cuius aquis, & alibi idem Propheta testatur, Et erit, inquit, in die illa, exibunt aquæ uiuæ de Hierusalem, medium earum ad mare orientale, & medium earum ad mare nouissimum. In die illa, erit Dominus unus, & nomen unum, & reuertetur omnis terra usq; ad desertum. Quæ sunt igitur istæ aquæ uiuæ, nisi baptisma? quæ hominem cœlestis spiritus infusione, uiuificant. Sed cur de Hierusalem exire adnunciantur? nisi quia Dominus in populo eodem consistens, ait discipulis, Ite docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritusancti. Sed harum pars media uadit ad mare orientale, id est, ad populum circuncisionis, & media ad mare nouissimum, quod est, ad populum Gentium, fide postremum, ut omnibus sitientibus largiatur, tam Iudæis, quàm Gentibus, qui in Domino credunt. De quibus aquis adhuc & per eundem Prophetã dicitur, Quod egrediantur de domo Domini, & crescant in fluuium, & pergant ad solitudinem, siue ad mare mortuum, & omnia, ad quæcunq; uenerint, uiuificentur, atq; sanentur. Sic enim idem Propheta dicit, Conuerti me ad portã domus Domini: & ecce, aqua egrediebatur subter limẽ domus ad orientẽ. Facies enim domus respiciebat ad orientẽ, aquæ autem descen

debant in latus templi ad extremum, ad meridiem altaris. Et cõuerti me ad uiam foras portam exteriorem, quæ respiciebat ad orientem: & ecce, aqua redundans à latere dextro, id est, à Christi latere. Deinde dicit, Et transduxit me per aquas, & ait ad me, Aquæ istæ, quæ egredientur orientales, & descendẽt ad plana deserti: utiq; Gentes sunt, intrabunt enim mare, & exibunt, & sanabuntur aquæ, & omnis anima uiuens, quæ respicit, quocũq; uenerit torrens, uiuet, & erunt pisces multi satis, id est, regenerati. Et adiecit, Postquàm uenerint aquæ illæ, & sanabuntur, & uiuent omnia, ad quoscunq; uenerit torrens. Et stabunt super illa piscatores, hoc est, Apostoli, atq; doctores: plurimæ species erũt piscium eius. Hoc dixit ad significandam uarietatem gentium, ad undam lauacri uenientium. Vnde & adiecit, Sicut pisces maris, magni multitudinis nimie, in ripis eius, ex utraq; parte omne lignum pomiferum. Non deficiet foliũ ex eo, & non deficiet fructus eius per singulos menses, adferre primitiua quæ de sanctuario egrediẽtur, & erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicamina. Micheas quoq; Propheta, eiusdem baptismi sacramenta, sub figura transitus maris, ita reuelat, dicens, Secundũ diem egressionis tuæ, de terra Aegypti, ostendã eis, mirabilia uidebunt Gentes, & confundentur: manus suas ponent super os suum, Dominum Deum nostrum sanctificabunt, & timebunt. Quis Deus similis tibi, qui auferes iniquitatẽ, & transfers peccatũ reliquiarum, quia misericors est, conuertet, & miserebitur nostri. Deponet iniquitates nostras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra. In qua sententia, lector animaduertet, manifestissime reuelari mysterium baptismi. Secundum, inquit, diem, egressionis tuæ de Aegypto, ostendam eis mirabilia: deinde hostes sequentes, id est, delicta nostra. Præterea, sicut Aegyptios in mare proiectos, ita in baptisma deleta delicta, atq; extincta, ita pronunciat, dicens, Quoniam misericors est, conuertet, & miserebitur nostri. Demerget delicta nostra, & proiiciet in profundum maris, omnia peccata nostra. Quid clarius hoc testimo

nio?

nio? quidue apertius? omnis enim per fidem uerus Israël exit ab Aegypto, dum renunciat seculo. Ingrediturq; mare rubrum; baptismũ scilicet Christi cruore signatum. Tunc hostes insequentes intereunt, quia statim delicta moriuntur, ubi animæ regeneratorum resurgunt. Legimus quoq; Aaron in præfiguratione baptismi, aquis ablutũ, cuiusq; filii sacerdotiũ paterno iure participes, laticis etiam sanctificatione purificantur. Iam tunc quidem purgatio illa, baptismi formam gerebat, cuius nunc lauacri sacramẽto, abluitur omnis populus ecclesiæ, quod est corpus ueri, & magni sacerdotis in remissionẽ peccatorum, & lotis sordibus in sanctificationem diuino cultui consecratur. Esaias nanq; Propheta, inter cætera ostendit: nequaquàm posse delicta Iudæorum dimitti, nisi abluti baptismo fuerint. Dicit enim per eundem Prophetam Spiritus sanctus, Laboraui sustinens, si multiplicaueritis orationes, nõ audiã, manus uestræ sanguine plenæ sunt. Lauamini, mundi estote. Pro omnibus quippe uictimis, quas memorauerat idem Propheta, pro cunctis Neomeniis & Sabbatis, atq; solennitatibus, solam baptismi purificationẽ præcepit: pro cunctis quoq; inquinamentis peccatorum, solum regenerationis lauacrũ, quo tantum peccata abluuntur. Quod quia Iudæi respuunt, audiant Dominum per Prophetam Ezechielem sibi comminantem, Et factus est, inquit, sermo Domini ad me, dicens, Fili hominis, notas fac Hierusalem abominationes suas, & dices, hæc dicit Dominus: Hierusalem radix tua, & generatio tua de terra Chananæa, pater tuus amorreus, & mater tua cœthea, & quando natus es, in die ortus tui, non est præcisus umbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem. Vbi ostenditur, quod in peccatis grauibus sit Hierusalem, & inde peritura esset, quod non sit lota aqua in salutem: quod est plena significatio baptismi. Ad eos autem, qui conuertuntur ad Christum, & baptizantur, sic ibi sermo Domini sequitur, Et ingressus sum pactum tecum, ait Dominus, Laui te aqua, mundaui sanguinem tuum ex te; & unxi te oleo. Significans per pactum, Testamentum Nouum. Per aquam & oleum,

baptismum & chrysma. Cuius baptismi purificationem, sic Spiritussanctus per eundem prophetam illis futuram promittit, dicés, Tollam quippe uos de Gentibus, & congregabo de uniuersis terris, & adducam uos in terram uestram. Et effundam super uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris. Et ut Nouum Testamentũ suscipiant, sic sequitur, Et dabo uobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio uestri, & auferá cor lapideum de carne uestra, & dabo uobis cor carneũ, & spiritum meum ponam in medio uestri: Faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.

¶ Quia Chrysmate omnes sanctificarentur. Cap. XXIIII.

LOquitur Dominus ad Mosen, dicens, Sume tibi aromata prima, & oleum de oliuetis, faciesq; unctionis oleum sanctum, unguentum compositum, & unges ex eo tabernaculum testimonii, & Arcam testamenti, mensamq; cum uasis suis, candelabrum & utensilia eius, altaria thymiamatis, & holocausti, & uniuersa quæ ad cultum eorum pertinent. Sanctificabisq; omnia, & erunt Sanctasanctorum, qui tetigerit ea, sanctificabitur. Aaron & filios eius unges: sanctificabisq; eos, ut sacerdotio fungantur mihi, filiis quoq; Israël dices, Hoc oleum unctionis, sanctum erit mihi in generationes uestras. Figura enim huius prioris tabernaculi, ad typum ecclesiæ ducitur, cuius omnis diuersitas populorũ in testimonio sanctitatis perũgitur, quæ per illa uniuersitatẽ operũ figurabatur, ut sacri chrysmatis sanguine delibuti, omnes sanctificentur, atq; sanctificati in Dei gloriam præparentur.

¶ Quia per signũ crucis credentes saluarẽtur. Cap. XXV.

CRucis autem figura, quæ fidelium frontes ad tutelam salutis designant per Ezechielem Prophetam, legitur demonstrata. Et uocauit, inquit, uirum, qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis, & dicit ad eum, Signa thau in frontes uirorum gementium, & dolentium, super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Et post hæc adiecit, Transite per ciuitatẽ, & percutite; non parcat oculus uester,

ſter, neq; miſereamini, ſimul aduleſcentulũ & uirginẽ, paruulũ & mulieres interficite uſq; ad internitionẽ. Omnẽ autẽ, ſuper quẽ uideritis Thau, ne occidatis. Intelligere ergo nos oportet hãc ſententiã. Thau quippe litera, ſpeciẽ crucis demonſtrat. Cuius ſignaculo prænotati ſunt, quicunq; ab exitu huius ſeculi liberãtur. Eiuſdem typũ præfigurabat in Aegypto ſanguis ille, agni immaculati, quo imaginarie ſignantur poſtes corporis noſtri, ut merito loquamur, dicẽtes, Signatũ eſt ſuper nos lumẽ uultus tui Domine. De hoc ſigno dicit Eſaias ex perſona Domini, Ecce uenio, ut congregem cũ omnibus Gentibus, & linguis: & uenient, & uidebũt gloriã meã, & ponã in eis ſignũ: utiq; crucis. Et alibi, Et erit, inquit, Dominus nominatus in ſignũ æternũ, quod nõ auferetur. Quod etiam & alibi idẽ Propheta ſignificare uoluit de Chriſto, dicens, Et eleuabit ſignũ in nationibus. Vbi oſtendit, quod eleuato ſigno crucis, Gentes ad eũ uenirẽt, atq; crederent. Cuius ſacræ crucis gloria, ita eſt & in Pſalmis prædicta, Dicite in nationibus, Dominus regnauit à ligno. De qua cruce Domini HIESV Chriſti, per Ezechielẽ ita Dominus loquitur, Gladius exacutus eſt, & limatus, ut cædat uictimas. Exacutus es, qui moues ſceptrũ filii mei. Succidiſti lignũ, & dedi eũ ad leuigandũ, ut teneatur manu. Quo teſtimonio, & filiũ Dei crucifixũ oſtenditur, & crucis eius ſignũ ſuſcipiendũ, ab omnibus uoce diuina pronunciatur. Cuius Crucis figurã, de duobus lignis cõpoſitã, idẽ Ezechiel ita figuraliter prænunciat, dicens, Factus eſt ſermo Domini ad me, dicẽs, Et tu fili hominis, ſume tibi lignũ unũ, & ſcribe ſuper illud, Iudæ & filiorũ Iſraël ſociis eius, & tolle lignũ alterũ, & ſcribe ſuper illud, Ioſeph lignũ Effraim, & cunctæ domus Iſraël, ſociorũq; eiꝰ, & adiunge illa unũ ad alterũ, tibi in lignũ unũ, & erũt in unione in manu tua. Vbi oſtendit Iudã, & Hieruſalẽ in unũ cõuerti debere. & crucis ſignũ ſuſcipere, quod per duo ligna ſignificatũ eſt. Hæc ſunt duo ligna, quæ illa uidua alienigena, ad quã mittitur paſcẽdus Helias, uolebat colligere, priuſq; moreretur. Vbi nõ ſolũ ligni nomine, ſed etiã & numero lignorũ ſignũ crucis expreſſum eſt,

¶ Quia panis & calicis sacramentum Deo placitum esset in holocausto, scripturarum testimoniis non tacetur. Cap. XXVI.

HVius enim sacrificii præfiguratio, in sacerdote Melchizedec, antea fuit expressa. Iste enim sacerdos Dei excelsi cum benediceret Abrahæ, ob mysteriũ futuri holocausti, panem & uinum in sacrificio Domino obtulit. Hoc enim ille primũ in typo filii Dei expressit, ad quem Psalmista ex persona patris sic dicit, Ante Luciferum genui te, Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchizedec, Hoc est, iuxta ritum huiusmodi sacrificii, quod & in passione sua proficiens, Christus impleuit. Quodque etiam & Apostolos in commemorationem suam fieri iussit. Nõ ergo iam uictimas Iudaicas, quales sacerdos Aaron obtulit, credẽtes offerunt, sed quales idem Melchizedec rex, salem immolauit, id e, p anem & uinum, quod est corporis & sanguinis Dominĩ uerissimum sacramentum. De quo idem Dominus dixit, Qui manducauerit carnem meã, & biberit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Cuius quidem sacrificii sacramentum, & in Salomone, pro immolatione panis ac uini ita monstratur, Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Immolauit uictimas suas, miscuit uinum suum, proposuit mensam suam, misit seruos suos, dicentes, Si quis est paruulus, ueniat ad me. Et insipientibus loquitur, Venite, comedite panem meũ, & bibite uinum quod miscui uobis. Derelinquite insipientiam, & uiuetis, & ambulate per uias prudentiæ. Dei ergo sapientia Christus, constituit sibi domum, sacrosanctam ecclesiam, in qua mactauit sui corporis hostias, in qua miscuit uinum sui sanguinis, in calice sacramenti diuini, & præparauit mensam, hoc est, altare Domini, cum mittens seruos suos, Apostolos atq; doctores ad insipientes, id est, ad omnes Gentes, uerum Deum ignorantes, dicens eis, Venite, comedite panem meum, & bibite uinũ quod miscui uobis, Id est, sancti corporis escam sumite, & poculũ sanguinis sacri percipite. Cuius quidem gratiã, quia Gentes sumunt,

& Iudæi

& Iudæi non meruerunt, declarat hoc Propheta Esaias, dicens, hæc dicit Dominus Deus: Ecce, serui mei comedent, & uos esurietis: ecce, serui mei bibent, & uos sitietis: ecce, serui mei lætabuntur, & uos confundemini: ecce serui mei lætabuntur præ exultatione cordis, & uos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus, ululabitis. Et dimittetis nomen uestrum in iuramẽtum electis meis, & interficiet te Dominus Deus, & seruos suos uocauit nomine alio, id est, Christiano. In quo, qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo, Amen. Interficietur enim Israël, succedit ex Gentibus populus. Tollitur illis Vetus Testamentum, redditur nobis Nouum: conceditur nobis salutaris cibi gratia, & poculũ sanguinis Christi, illis fame & siti arentibus: Mittatur & nouo populo nomen aliud, scilicet, Christianũ, & omnia quæ sunt gesta, nouitatem gratiæ resonant.

Recapitulatio operis.

O Infelicium Iudæorum dementia deflenda: ecce, Saluatoris aduentũ, nec Testamenti Veteris authoritate intelligunt, nec eum uenisse accipiunt. Gentium conuersionem legunt, & de sua reprobatione minime confunduntur. Sabbati obseruationem suscipiunt, quem reprobatum scripturæ testificatione cognoscunt. Circuncisionem carnis uenerantur, qui cordis munditiam perdiderunt. Nos autem, sub gratia positi, omnia hæc facta, & celebrationes, quæ futurorum erant indicia, iam cognoscimus esse completa. Quidquid enim huiusmodi sacramenti prophetabatur, iam Christus impleuit: qui non uenit soluere legem, sed adimplere: adueniente ergo ueritate, umbra cessauit. Ideoq; iam carnaliter nõ circuncidimur, quia in circuncisionis typo, promissi baptismatis sacramento mundamur. Sabbati otium superuacuum ducimus, quia iam reuelatam spem, quietis æternæ tenemus. Sacrificia Veteris legis non immolamus, quia per eadem sacrificia, aut Christi passionem, aut carnalium uitiorum mortificationem insinuatam cognoscimus. Azima non obseruamus, quia expurgata ueteris uitæ malitia, in noua fidei gratiam ambu

lamus. Differentias ciborum, non custodimus, quia cuncta illa spiritaliter discernimus in moribus hominum, quæ immundorum significabat diuersitas animalium. De agni esu, pasca non celebramus, quia pasca nostrum iam immolatus est Christus, qui pro illo agno figurabatur, qui tanquàm ouis, ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se, sic non aperuit os suũ. Neomenias nouæ lunæ non custodimus, quia iam in Christo noua creatura, uetera transierũt: ecce, facta sunt noua. Scenophegias, id est, solennitates tabernaculorũ nõ obseruamus, quia tabernaculũ Dei, sancti eius sunt, in quibus habitat in æternũ.

Dicis formulas spiritalis intelligentiæ cõponendas, tibiq; mittendas pro studio paternæ erga te solicitudinis æstimaui: quibus perceptis, in omni scriptura diuina facile, sed ad intellectũ se, qua sensus intenderet. Nã cũ litera occidat, Christus autem uiuificet, necesse est, ad illa spiritaliũ interiora sermonũ, spiritu uiuificãte, penetrari. Vniuersam porro scripturam tam ueteris instrumenti quàm noui, ad intellectum allegoricum esse sumendam, admonet nos uel illud, quod in Veteri Testamento legimus, Aperiam in parabolis os meum, loquar ænigmata antiqua. Vel illud item in Nouo Testamento scribitur. Hæc omnia loquutus est HIESVS in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis. Nec mirandum, quod sermo diuinus Prophetarum, Apostolorumq; ore prolatus, abusitatũ illo hominibus, scribendi modo multum recesserit, facilia in promptu habens magna interioribus suis continens, quia & reuera fuit congruum, ut sacra Dei dicta, cæteris scripti sunt, merito ita & specie discernentur. Nec illa cœlestium arcanorum, dignitas passim, atq; indiscreta cunctis pateret, sanctumq; canibus, & margaritas porcis exponeret, ut uere est illud columbæ deargentatæ modũ, cuius posteriora specie auri splendẽtis inradiãt. Ita scripturæ diuinæ prima quæq; argento fulgerent, auro occultiora rutilarent. Recte itaq; procuratum est, ut illa eloquiorum castitas promiscuis cunctorum oculis abditu suo, quasi quodam uelamine pudicitiæ contegeretur. Hac diuina optime dispensatione prouisum est, ut scripta ipsa ita

tegerentur cœlestibus obumbrata mysteriis, sicut secreto suo ipsa diuinitas operiebatur. Igitur cũ in libris sanctis oculi Domini, uterus Domini, pedes arma, etiam Domini scripta reperiãtur, longeq; absit à catholica ecclesiarum fide, Deum corpore determinari, qui sit inuisibilis incomprehensibilis, infinitus. Requirendum est, qualiter ista per Spiritum sanctum figurali expositione referentur. Hic enim inueniuntur Dominici interiora templi: hic illa Sancta sanctorum. Corpus ergo scripturæ sacræ, sicut traditur, in litera est.

LIBER B. ISIDORI EPISCOPI, DE VITA VEL obitu Sanctorum, qui Deo placuerunt.

PRæfatio quorundam sanctorum, nobilissimorumq; uirorũ ortus, uel gesta cum genealogiis suis, in hoc libello edita sunt. Dignitas quoq;, & mors eorum, atq; sepultura, sententiali breuitate notata. Quæ quamuis omnibus nota sint, qui per amplitudinem percurrunt scripturarum, facilius tamen ad memoriam redeunt, dum breui sermone leguntur, qui in scriptura laudibus præfuerunt.

Adam	Symeon	Moses
Abel	Leui	Aaron
Enoch	Zabulon	Iosue
Noe	Isachar	Phinees
Melchisedec	Dan	Gedeon
Abraham	Gad	Iepte
Isaac	Asser	Samson
Iacob	Neptalin	Samuel
Loth	Beniamin	Dauid
Ioseph	Effraim	Salomon
Iudas	Manasses	Helias
Ruben	Ioh	Heliseus

immolat. Cuius Arcam ueteres residisse testantur in Armenia, super montes Arath. Hic nongentesimo L. anno mortuus est.

V.

MElchizedec, rex Salem, sacerdos altissimi, primus, iureq; oblatorum sacrificii, cuius origo secreta. Hunc esse aiunt Hebræi Sem primogenitũ Noe, tritauum Abrahæ. Ipse est enim pater patrum, Prophetarum, & apostolorum origo. Ipse est, qui paternæ pietatis benedictione, dominus fratris esse promeruit. Qui uersis incedens uestigiis, patris genitalia texit, nec derisit ebrium, ut procax & reprobus filius, sed uelauit ut uerecundus. Vnde accidit in lege Iudæorum, parentes à filiis nunquàm uideri nudatos. Hic Abraham reuertente post victoriam, benedixit. Idem in typo ueri sacrificii, de frugibus terræ, primus panem & uinũ Deo obtulit, quia sacerdotiũ & regnum iure primogenitis debebatur, antequã Aaron sacerdotio fungeretur. Hic etiã prior omnium post diluuium, urbem Salem condidit. In qua etiam & regnauit, quæ postea Iebus, siue Solema, & nunc deriuato uocabulo, Hierosolyma uocitatur. Vixit annis sexcentis, & perduraruit usq; ad lxx. ætatis Abrahæ annũ, at mortuus est, ac sepultus in ciuitate sua Hierusalem.

VI.

ABraham pater gentium, filius Tharæ, de stirpe Sem, natione Chaldæus, fide primus, exul spontaneus, obediens in præceptis, credulus in promissis, pauper in patria, in peregrinis locuples, in præliis victoriosus, in victoria non auarus. Reges quinq; superauit, & spoliis exuit, captiuumq; parentem reduxit. Eo summus, ut trinitatem in typo uideret, & unitatem in mysterio uneneraretur: eo fidelis, ut in promisso germine, contra spem naturæ crederet: adeo iustus, atq; deuotus, ut indulgentiã unici pignoris, diuinitati non præponeret. Sed incunctanter præceptis parens, ad immolandũ filium religiosus parricida gladio dexteram armaret. Qui dum distinguit ferrum, unicum pignus in uictima oblaturus, nec natũ perdidit, & hostiam non amisit. Filiũ

enim

enim sacrificium obtulit, & arietem pro filio immolauit. Obiit clxxv. annorum, sepultusq; est in agro Ephron, in spelunca duplici: in cuius interiori parte sepultum ferunt Adam, in exteriori uero Abraham. Distat autem hic locus, ut Iosephus edocet vii. ab urbe Ebron stadio. Ibiq; adserit Abraham & filium eius monumentum habere pulcherrimum, instructo marmore, & opere elegantissimo, illuc etiã & therebintum magnã arborem à constitutione fuisse adseuerat. Hanc Hieronymus usq; ad Constantini imperium regis perdurasse scribit: ipsa est enim quercus mambræ Amorrei, quæ fuit curia Abrahæ, quæ apud gentiles, in tanta extitit ueneratione, ut eam muri ambitu circunseptã, solenni consecratione colerent.

VII.

ISaac, filius Abraham, ex repromissione in terra Chanaan genitus, semen æternum uocatus. Coniugalis uitæ castimonia clarus, promptus ad gratiam, ad ignoscendum paratus, qui excludentes non armis, sed patientia uicit, qui pœnitentes cum bonitate recepit. Qui per timorem Dei eo usq; detulit honorem patri, ut ad aram sponte sacrificandus accederet, atq; in figuram Christi mortem non recusaret. Obiit clxxx. annorum, sepultusq; est iuxta patrem suum.

VIII.

IAcob, filius Isaac, natus in terra Chanaan, dilectus matri, supplantator fratris, humilis quoque & simplex, & innocenter habitans domum, qui peregre profectus, dum consortio egeret hominum, comitatum meruit angelorum. Hic tamen postquàm primogeniti præripuit benedictionem, obediuit matri, & fraternæ iracundiæ patienter cessit, patriamque & parentes relinquens, exul effectus. Seruitutem longam sustinuit, laborem famis pertulit, & frigoris. Seruiuit socero, ut pastor mercenarius pauit gregem, expectans non diuisionem, sed de gregis lucro mercedem. Hic autem cum DOMINO colluctans, præualuit. Hic facie ad faciem DEVM uidit.

Hic famis inopia pulsus, cũ præclara progenie ingressus est Aegyptum. Emensis cxlvii. annis, naturæ reddit obitum, & à filiis reductus in terram Chanaan, & sepultus iuxta patrem.

IX.

LOth filius Aram, consanguineus Abraham, pater Moab & Amon: apud Chaldæos natus, homo iustus, hospitalis. In Sodomis pie, casteque inter nefariam gentem conuersatus, qui propter solum hospitalitatis officiũ etiam susceptor effectus est angelorum. Sulphureum exitium, ac Sodomitarum euasit incendium. Mansitq; postea in urbe Segor, quæ est iuxta mare mortuum; ibiq; balsamum gignitur, & copiosa poma palmarum.

X.

IOseph princeps Aegypti, filius Iacob ex Rachel, ortus in terra Chanaan, benedictus in primogenito ab Israël, & accipiens primatum Ruben, dilectus patri, & solus hæres paternæ possessionis. Hic zelo sublatus à fratribus, in lacum mittitur, ob inuidiam uenditur, factus humilis usq; ad seruitutem, patiens usq; ad carcerẽ, pudicus usq; ad passionem, fit in interpretatione sapiens, in consilio futuro prudens, in regno particeps, in fœcunditate ordinator prouidus. In fame dispensator iustus, ad reddendum pro malo bonæ retributionis gratiam promptus, dum iniuriam fratribus non rependit. Sed fame depulsis necessitate, subsidia cõtulit. Principatus est in Aegypto annis lxxx. Exactisq; ætatis cx. annis, longe quietis gratiam, diem ultimum conclusit. Sepultusq; est in Aegypto, cuius ossa transtulerunt filii Israël in Sichem ciuitatem patris sui Iacob, quam Græci Sichimi uocant. Ipsa est autem, quæ nunc uocatur Neapolis, urbs Samaritanorum, ubi sepulchrum eius usq; in hodie cernitur.

XI.

IVdas regalis successionis, insignis prosapia, cui ducatus bellorum, & Israël traditur regnum, qui nomen genti ex suo nomine dedit, præpotens ut leo in regni uirtute, & clarus in splendore potentiæ. Cuius quidem imperii posteritas, non cessauit

quousq;

quousq; Christus quasi catulus leonis, ex germine eius ortus, ascẽderit, atq; spes gentium ex uirginali procedens utero choruscaret.

XII.

RVben primogenitus filius Israël, ætate fratribus maior, sed posteritatis numero minor, paternũ thorum polluit, atq; ordinẽ primogenitæ dignitatis amisit.

XIII.

SYmeon princeps scribarum, & uiolatæ pudicitiæ uindex, non habens hæreditatem, sed manet in tribu Iuda, particeps in possessione.

XIIII.

LEui sacerdotalis author originis, cum tribu Iuda permixtione generis unctus, sed in Israël totus diuisus, carens propriæ sortis funiculo, & habitans in uniuersis sceptris fratrum.

XV.

ZAbulon possessor maris magni, & littorum, & dominans in cunctis urbibus Sidonum.

XVI.

ISachar studiosus in laboribus terræ, possidens Gallilæam, & de benedictionibus sui fructus dona porrigit regibus.

XVII.

DAn, cuius ex germine Samson, & sceptrum tenet Israël, fortis Nazaræus, & triumphator in hostibus, obsidens in more serpentis Philistinorum semitas, & equitatum eius, ut spiritu oris sui depopulans.

XVIII.

GAd inprocinctus prælii expeditus, pro filiis trans Iordanẽ relictis aduersus hostes gentis dimicat, & forti brachio uictor triumphat.

XIX.

ASser diuitiis insignis, replens delitiis principes.

XX.

NEptalim in pinguedine terræ uberrimus, & doctrina legis abundans.

XXI.

BEniamin inter fratres ortu posterior, imperio prior, cuius natiuitatis processus matri dedit occubitum, ipse lupus uorax, & sanguinarius, qui super uasem sortis suæ mane hostiæ sanguinem fundit, & ad uesperam escas principibus & sacerdotibus diuidit.

XXII.

EFraim semen Ioseph, & adoptiuus filius Israël, in numero Patriarcharum benedictionis testamento relictus, minor ætate fratris, sed prælatus gratia benedictionis, in cunctis fortior, & inter fratres dominator inuictus, hic partem tribus Leuitarum accipit.

XXIII.

MAnasses dilatatus in milibus unà cum fratre suo, mystice possedit Ioseph tribũ. Hi omnes patres Apostolorũ, & principes populi Iudæorũ, tribus Iacob, & præclara progenies Israël. Quibus pater moriens, pro diuitiarum copiis, sanctificationis gratiam dereliquit. Qui, regnante Ioseph in Aegypto, regnauerunt, ibiq; etiam post longam uitæ quietem, occubuerunt atq; sepulti sunt.

XXIIII.

IOb filius Saræ de Bosra, rex Idumæorum, quartus post Esau, successor Balæ filii Beor, homo Gentilis, fide stabilis, humilitate summus, hospitalitate præcipuus, in disciplina mansuetus, in eleemosynis largus, diues in censu, exemplo factus egenus, locuples in liberis, repente orbatus, tentationi traditur, sed contra tentationem, fidem religionis amans, fit gloriosus in certamine, æquanimis in dolore, damna rerum pertulit, funera pignorum doluit, corporisque uulnera patienter excepit, & inter supplicia semper DEVM glorificauit. Male suadentem insuper sapienter sustinuit coniugem: uerba amicorum ratione superauit. Pro tanta uirtute patientiæ, duplici in fine remuneratione sub

ne subleuatur, recipiens post rerum casum duplicem claritatem bonorum. Post noctem enim tristitiæ, diem genuit: post fœtores ulcerum cassiæ fragrantiam edidit. Post abiectionem cornu, inunctionem regni promeruit, & tibiã in accinctu laudis adsumpsit. Vixit autem post plagam clxx. annis, & fuerunt omnes dies uitæ eius ccxlviii. anni, & mortuus est, atq; sepultus in regione sua. Hunc Hebræi adserunt non fuisse de genere Esau, sed de genere Nachor, fratris Abraham descendisse stirpe, & fuisse eum temporibus Patriarcharum. Nachor autem genuit Chus, de cuius stirpe creditur generatus, sed quod in exordio uoluminis sui notatur, Vir erat in terra Chus, nomine Iob &c.

XXV.

MOses filius Amram, ex tribu Leui, dux & Propheta in Israël, regis filiæ adoptiuus, Dei amicus, Pharaonis dominus, in rubo flammante, & non urente uocibus angelicis euocatur. Quem ubi exemplo formaret Deus, in sinũ positã eius manum iussit emori, & rursus retractam, uigori & motui reddidit caloris. Cuius facies spe foris gloriæ illuminatur, humilis in recusando mysterio, subditus in suscipiendo, in conseruando fidelis in exequendo peruigil, in regendo populo uigilans, in corrigendo uehemens, in amando ardens, in sustinendo patiens. Qui pro subiectis se Deo interposuit consulenti, opposuit irascenti. Hic pro populi libertate, propriã obiecit salutẽ regis sæuissimi, non minas, non tela trepidauit. Qui etiam extulit contra draconES eius uirgam, ac per manum Dei oppugnatoris Israël, decem plagis eius imperium uerberauit. Primum in cruorem uertit fontes & flumina, dehinc ranarum multitudine urbes, muscarum nubibus aëra compleuit, mortem intulit iumentorum. Percussit ulcere homines, uastauit grandine terras. Obduxit tenebris cœlum. Post hæc expoliauit Aegyptios, eductisque populis, heremi pandit iter, flammea præcedente columna: nec mora, mare transiens diuidit. Refrenatisque hinc inde aquarum cumulis pergente populo, uiam sicco uestigio præbuit.

hostes dehinc operuit fluctibus, atq; amaras aquas per tactũ ligni in suauitatẽ conuertit. Quin etiã esurienti Israël cœleste præbuit pabulum, uolucrumq; escis repleuit locum castrorum, percussit insuper petram, atq; extemplo duro saxorũ, copiosa fluenta manauerunt. Ascendit quoq; uerticem montis Sinai, faciem Domini contemplaturus, ibi xl. dierum ieiunia pertulit: descendens, legem acceptam à Deo, populo tradidit, ritumq; religiónis instituit. Inter hæc quoq; bella gessit, uictoriis claruit, uirgam in manu tenens, hostes quos non contigit, separauit: lætiferos aspidum morsus, ærei serpentis adspectu, sanauit: Dathan & Abyron terræ cõpagibus ruptis, profundos in hiatus deiicit. Ad extremũ, conscendit montẽ Thabor, terramq; repromissionis demonstrante Domino, adspicit. Mortuusq; est, iubente Domino, in monte Abarim: sepultusq; est à Domino in ualle Moab, quæ est in Arabia. Rexit autem populum Dei in heremo, annis xl. Obiitq; annorum cxx. Quidã autem eũ uiuere testantur, pro eo quod sepulchrum eius non reperitur, & quia adparuit Domino in monte cũ Helia. Mortuum autem illum esse, non raptum, certissime sacra scriptura testatur.

XXVI.

AAron, frater Mosi, & insignis miraculorum socius, atq; in lege sacerdos Domini primus. Cuius uirga sorte electa fronde germine floruit. Quiq; thuribulũ in dextra gestans, furenti se flãmæ opposuit, atq; stans inter uiuos & mortuos, obiectu sui corporis transire ignem, ad agmen uiuentium non permisit. Hic per hostiam uictimarum & sanguinis, futuram Christi passionem expressit: hic ius & principatum sacerdotii, per ordinem generis, & successionis suæ, transmisit. Anno autem xl. egressionis filiorum Israël de terra Aegypti, cum esset annorũ cxx. mortuus est iuxta præceptum Domini in monte Hor, qui est iuxta petram insignem Arabiæ urbem. Ibi & sepulta iacet soror eius Maria, ubi etiam & nunc usq; ostenditur rupes, qua percussa Moses, aquas sitienti populo præbuit. Est autem hic locus in extremis finibus Idumæorum.

XXVII.

IOsue, filius Nun, ex tribu Effraim, in Aegypto natus, Mosi discipulus, & potestate successor, nouiq; prælii triumphator. Qui quousq; expediretur uictoria, ut sol staret cœlo, imperauit. Iordanis etiam cursum transitu suo stare fecit. Ciuitatis Hiericho inexpugnabiles muros clangentiũ tubarum sono, deiecit. Chananæorum euertit regna, reges extinxit, ac populum Dei, solus in terram repromissionis induxit, eamq; sorte distribuit. Viginti septem annis præfuit. Occubuitq; Cx. annorum, atq; sepultus est in Tamnasar ciuitate sua, quæ sita est in latere montis Gair, contra aquilonem. Ibiq; hodie insigne monumentum eius ostenditur. Est autem in tribu Dan.

XXVIII.

PHinees sacerdos, filius Eleazari, zelum Domini agens, coeuntem impudicum simul cum Madianitide telo perculit, atq; perpetuas sacerdotii infulas, præmiumq; uictimarum in generationibus seculi meruit, pro eo quod zelo diuini amoris accensus, iram Domini feriendo placauit.

XXIX.

GEdeon filius Ioas, ex tribu Manasses, genitus in solitudine, liberator populi, & multorum pater extitit filiorum, manu fortis, consilio strennuus, signis explorans futuræ documenta uictoriæ, potentiamq; Dei in uellere cognouit. Hic cum ccc. uiris, aquã lingua lambentibus, nõ tela in dextris, sed tubas: nec leua clypeum, sed hydrias proferentibus, hostem terrore perculit, ac uictor de Amalech fortiter triumphauit. Iudicauit Israël annos xl. Mortuusq; est senex, & sepultus in sepulchro Ioas patris sui in Effrata, de familia Ezri.

XXX.

IEpte ortus ex tribu Gad, felix in præliis, fidelis in promissis, adfectũ pietatis exuperãs tolerãtia mentis. Hic uouerat Deo, ut si quid illi post uictoriam reuertenti primum occurreret, immolaret. Nam rediens ex hostibus, Amonitarum triumphator, ne pol

lueretur labe periurii, pollicitam sponsionem compleuit, ac filiã quæ prima uictori occurrerat, immolauit. Iudicauit Israël vi. annis, & mortuus est: sepultusq; in ciuitate sua Galaath, quæ est in dimidia tribu Manasse.

XXXI.

SAmson, filius promissionis, generatus à patre Manue, ex tribu Dan, Nazareus uocatus, liberator israël, & omnium fortissimus. Iste fugientem necauit leonẽ, fauumq; ab ore mortui tulit. Seras quoq; portarum humeris tollens, in uertice montis imposuit. Vulpium caudis igne iunctis, totam regionem Philistinorum succendit. Vinctus etiam recinctis funibus in maxilla asini, mille uiros peremit. Neruis interea uincula, ut lanea fila dirupit. Posthæc auaritia illecebrosæ mulieris deceptus, detonsis crinibus, uim suæ uirtutis amisit. Nec mora, effossis oculis columnas templi concutiens, ruina oppressus pariter cum hoste defecit. Iudicauit Israël annis xx. & positus est in sepulchro patris sui in ciuitate Sebul, quæ est in tribu Iuda, decimo procul lapide ab Eleuteropoleo, contra Septentrionalis plagam, iuxta uiam quæ ducit Nicopolim.

XXXII.

SAmuel Propheta, filius Helchana de Ramatha, de tribu Effraim, connumeratus Moses in sacerdotibus Dei, ab ipsis cunabulis Domino cõsecratus, sedulus in ministerio, in gente princeps, in templo uates. Cuius uerbo, obtemperauerunt cœli, occurrerunt nubila, effusi sunt hymbres. Hic triumphator ex hostibus, adiutorii lapidem posuit: hic primus principes in regno unxit. Sepultus est in uiculo suo Ramatha, quæ est secus Bethlehẽ.

XXXIII.

DAuid, idem rex & Propheta, ortus de genere Iuda, filius Iesse, natus in Bethlehem, puer pastor ouium, inter fratres ætate iunior, mente præstantior, à Domino in regno uocatus, à Propheta in regno unctus, belliger iuuenis, in certamine singularis, in triumpho gloriosus, uincendo ueteranus, patiens in aduersis,

in aduersis, prudens in periculis, in peccato proprio dolens, in alieno funere lugens, pronus ad pœnitentiam, uelox ad ueniam, in conuitio mitis, ad misericordiam facilis. Qui inimicũ regem, dum possit, nonnocuit, sed tantum reseruauit traditum, & uindicauit occisum. Hic leonem & ursum sine gladio interfecit. Citharæ suauitate immundum spiritum depulit: Gygantes expugnauit. Igitur quadragesimo interea regni & lxx. ætatis anno, diem uitæ suæ supremum consummauit, sepultusq; est in ciuitate sua Bethlehem, quæ alio uocabulo uocatur Eufrata. Ibi etiam Dominus noster HIESVS Christus secundum carnem est genitus. Ibi etiam Rachel cum Beniamin peperisset occubuit. Ibi etiam sepulchrum Iesse patris sui ostẽditur. Est autem hic locus in tribu Iuda vi. ab Hierusalem miliario positus, contra meridiem, in itinere, quo pergitur Ebron.

XXXIIII.

SAlomon, filius Dauid, editur ex Bersabea in Hierusalẽ, antequàm nasceretur, uocatus sapientissimus omnium, & dominici dedicator templi, felix imperio, paternis meritis impar, dilectus Deo, sapiens in iudicio, in sententia iustus, pacificus in regno. Qui poposcit sapientiam, & impetrauit, ut sciret disputationem orbis terrarum, & uirtutes elementorum, naturas animalium, & cogitationes hominum. Hic quoq; mores, rerum naturas repperit, sacramenta & ecclesiæ reuelauit: cuius principia bona fuerunt, nouissima autem mala: nam post miram uirtutum gloriam, amore deprauatus fœmineo, & acceptam sapientiam perdidit, & in profundum Idololatriæ flenda ruina demersit, xl. annis regnauit. L. & duobus uitam peregit. Dehinc finem imperio & uitæ dedit. Sepultusq; in ciuitate patris sui Bethlehem.

XXXV.

HElias Thesbites, sacerdos magnus, atq; Propheta, habitator solitudinis, fide plenus, deuotione summus, in laboribus fortis, industria solers, excellẽti ingenio præditus, in exercitatione disciplinæ rectus, in sancta meditatione assiduus, metuq;

mortis intrepidus. Verberauit tyrannos, sacrilegos interfecit, multisq; signis uirtutum euulsit, & triennii siccitate clausit ymbribus cœlum. Orauit rursum, & cœlum dedit pluuias: mortuũ mulieris filium suscitauit. Cuius uirtute hydria farinæ non defecit: uas olei, perpetuo fonte manabit. Cuius uerbo, super sacrificium ignis de cœlo descendit, duos quinquagenarios cum militibus, cœlesti igne combussit. Iordanem transiens, tactu melotis abrupit. Post hæc, igneo curru in cœlum raptus ascendit, ueniturus, iuxta Malachiam Prophetam, in fine mundi, præcursurus Christum, nunciaturus ultimum eius aduentum, cum magnis uirtutibus, prodigiisq; signorum: ita, ut etiam bellum gerat Antichristus aduersus eum, uel qui cum eo uenturus est, & occidet eos. Cadauera quoq; eorum in plateis insepulta iacebũt. Dehinc suscitati à Domino, regnũ Antichristi plaga magna percutient. Post hæc ueniet Dominus, & interficiet Antichristum gladio oris sui, & eos qui adorauerunt eum. Et regnabit Dominus cum omnibus sanctis suis, in gloria sempiterna.

XXXVI.

HEliseus, Heliæ discipulus, ex Amelmoth oppido, ex tribu Ruben, cuius ortu aurea uitula in Galgalis mugitum dedit, eiusq; uox in Israël personuit. Tunc quidam præsagus uates prædixit, Hodie in Israël natus est Propheta, qui cuncta eorũ destruet Idola, Hic gemino Heliæ glorificatus spiritu, plurimis atq; magnis uirtutum signis emicuit. Iordanem transitu suo diuisum refrenans, undas retro conuertit. Aquas Hiericho steriles demerso uasculo ad fœcunditatem perduxit. Pueros insultantes sibi uerbo tradẽs bestiis repente uorauit: sanguineas aquas in necem hostium decurrere fecit. Inter hæc sterilem conceptione fœcundauit, eiusq; filium mortuum suscitauit. Ciborum temperat amaritudinem: deniq; ex decem panibus plebem refecit, reliquias collegit, & Naaman lepra stigmatibus lauacro Iordanis purgauit. Lepra quoq; maledictum adspersit discipulum: ferrum securis in Iordane mersum, ligno in aquas misso supernatare fecit. Hostes

Siriæ

Siriæ cæcitate percussit, mortem incredulo prædicauit, fragore quadrigarum fugauit hostem. Obsidionem dispersit, famem de pellit. Postremo, post mortem exanimi cadaueri uitam dedit. Cuius sepulchrum usq; hodie in Sebastea ciuitate ostenditur, ho nore satis dignum, & digna habitum ueneratione.

XXXVII.

ESaias, filius Amos, non illius Prophetæ, sed alterius, qui simili nuncupatus est nomine: ille enim ex numero pastorum fuit, de oppido Tecue. Hic autem genere nobilis, ortus in Hierusalem, quem etiam aiunt Hebræi socrum fuisse Manasse. In quo tanta fuit sanctitas, & uitæ excellentia, ut unam tantum dicatur habuisse tunicam cilicinam. Quaq; etiam postmodum pro delicto populo abiecta, sacco membra cooperuit. Sed & hoc ad extremum deposito, iuxta Domini imperium, nudo corpore, nudoq; uestigio, in conuentu populorum conuersatus est. Sicq; feruorem æstiuum, hyemisque pruinas, atq; hymbrium potestates sustinuit, ut Dei præceptis obediret, & populi deploraret delicta. Hic quindecim gradibus recedentem umbram retro ascendere iussit. Huius oraculo, rex Ezechias mortis dilationem promeruit, quem Manasses extensum, à uertice per medium secuit, atrocique supplicio excruciatum, extinxit. Tradunt autem Hebræi, duabus ex caussis interfectum fuisse Esaiam. Vna, quod eos appellauit principes Sodomorum, & populum Gomorræ. Altera, quod testante Domino ad Mosen, Non poteris uidere faciem meam. Iste ausus est exclamare, Vidi Dominum sedentem super thronũ excelsum. Non arbitrantes cæcitatis mente Iudæi, quod in sequentibus faciem & pedes Dei, Seraphin texisse narrauerat, ac media tantum eius uidisse scribat. Iacet sub quercu Rogel iuxta decursus aquarum, quas Ezechias rex Iuda, tumulo constructo terræ aperuerat.

XXXVIII.

HIeremias, ex tribu sacerdotali ortus, in uico Anatoth, qui est tribus milibus ab Hierusalem. Sacerdos in Iudæa posi-

tus, Propheta in Gentibus consecratus: antequàm plasmaretur, agnitus, antequàm procederet, sanctificatus: & ut uirgo permaneret ammonitus, hic prædicare puer cœpit, arguens populũ ob delicta, & sæpius coartans ad pœnitentiam. Sed plebis perfidæ sæuientis crudelitate adficitur sæpe, atq; ligatur, in carcerem etiã mittitur, proiicitur in lacum. Ad ultimũ, in Tafna in Aegypto à populo lapidatus. Sepultus in eo loco, ubi Pharao habitauit. Veruntamen, quia precibus suis serpentibus ab eo loco effugatis, Aegyptios à noxio aspidum morsu eripuit, insigni eum uenerationе, amplissimoque honore, iidem Aegyptii colunt, sepulchrumq; eius insigni cultu hactenus uenerantur.

XXXIX.

EZechiel, sacerdos filius Bozri, genitus in terra Sarara, in typo Christi, filius hominis nuncupatus, hic captiuus cum Ioachim, in Babylonia ductus ad concaptiuos, prophetauit, corripiens eorum offensiones, & zelo Dei motus, cuncta eorum crimina turpitudinesq; arguens. Quẽ dux populi Israël interfecit, pro eo quod seueritate pontificali corriperetur ab eo ob impietatem sacrilegii. Sepultus est à populo in agro Maurim, in sepulchro Semetarfaxat.

XL.

DAniel, de tribu Iuda, genere nobilis, princeps omnium Chaldæorum sacerdotum, regumq; prosapia, & florens patriæ nobilitate. Hic sub Ioachim rege Iuda, post excidium Hierusalem, cum tribus pueris admodum puer, in Babylonem translatus est. Vir gloriosus, & adspectu decorus, mente humilis, corpore castus, perfectus in fide, egregius in opere, in uirtute summus, in prodigiis clarus, terribilis, insignis cognitor secretorũ cœlestium, præscius futurorum, uisionum interpres. Qui continuatis ieiuniis, & orationis instantia, futura prænotescere meruit sacramenta. Hic inter cætera uisionum mysteria, his uirtutum portentis, atq; signis effulsit principium, sceleratorum semini iudicia reprehendens. Castitatem fœminæ reuelauit, tribus

hebdomadibus

hebdomadibus dierum exorans, pro populo ieiunauit. Simulachrum Bel diuinæ aspirationis argumentis elisit, draconem Babyloniæ numen eiusdem gentis, Offa, pice adipe capillorum confecta, diuinæ mentis instinctu, incredibili admiratione disrupit. Et in lacum missus, rabiem mitigauit ferarum, atq; uirtute animæ fortis, inter fremẽtes, securus epulatur leones. Hunc Darius, postquàm Babylonium subuertit imperium, honore maximo habitum secum tulit, & in Mediam abduxit. Qui etiam fertur dedisse signa in montibus super Babyloniam, dicens, Dum montis arborea fumauerint, finem instare Babyloniæ, dum uisi fuerint incendiis conflagrare, finis erit totius mundi. Idem, dum ad Parthiam non defluxerit Tigris, regressio erit populi ad Hierusalem. Vixit autem usq; ad tempus Darii regis Persarum, annis cx. Sepultusque est iam senex in spelunca regia solus in captiuitate cum gloria.

XLI.

OSeas, de tribu Isachar, ortus in Bethlemoth, hic prænuncians dedit signũ, Veniet Dominus in terra simul, quercus quæ est in sylo, ex semetipsa in duodecim diuisa fuerit partes, totidemq; quercus effecerit. Hic in terra sua sepultus placida quiete dormiuit.

XLII.

IOhel, hic fuit de tribu Ruben, natus in agro Bethoron, ubi etiam in pace mortuus est, atq; sepultus.

XLIII.

AMos, pastor & rusticus, & roborum moras distribuens non negare, sed gratiæ uocatione. Hic autem fuit ex oppido Tecue, quod distat ad australem plagam, sex milibus contra Bethlehem. Vltra autem, nulla est habitatio, sed sola in heremo diffusa uastitas patens, usq; ad mare rubrum, atq; Indorum fines, solis tantum pastoribus conscia & lata uacantium pecorum. Ex hac itaq; pastorali regione fuit Amos, unus de numero pastorũ. Quem Dominus ablatum inde misit ad populũ Israël, præcipiens

ei, ut Samariam pergeret, & ibi quæ uentura erant, propheta-ret. Quem Amazias rex frequenter plagauit affectum. Nouissi-me Ozia filius eius uecte per timpora transfixo, crudeli morte ne cauit. Post hæc semiuiuus, euectus in terram suam, post aliquos dies, dolore nimio uulneris animam cunctantem efflauit. Sepul tus est cum patribus suis.

XLIIII.

ABdias, de terra Sichem, ortus in agro Bethacaron. Iste est il le, qui sub Achaz rege Samariæ, centum pauit Prophetas. Iste est tertius ille dux, cui pepercit Helias, qui postmodũ relicto Oziæ regis ministerio, Heliæ factus discipulus prophetauit. Quiq; etiam morte propria obiit, sepultus cum patribus suis in Sebastea ciuitate, ubi Heliseus prophetauit, & Iohannes baptista uenerabiliter requiescit.

XLV.

IOnas columba & dolens, filius Amathi qui fuit in Geth ciuita te natus, ad Gentium præconia mittitur, missus contemnit, contemnens fugit, fugiens dormit, propter quem periclita-batur nauis. Sed sors latentem reperit. Cœtus abiectum deuora-uit, orantem reuomuit: reiectus, prædicauit subuersionem. Sed contristatur in pœnitentia urbis, & saluti gentium inuidit. Gau det etiam sub ederæ uirentis umbra, & dolet subito arescente. Et tradunt Hebræi hunc esse uiduæ filium, quem à mortuis suscita uit Helias. Cuius sepulchrum in quadam urbium Geth, in uicu lo demonstratur, quod est in secundo miliario Sefforim, in itine re quo pergitur Tyberiadem.

XLVI.

NAum, de tribu Symeon, in Bathafarim natus, ibique mortuus, suo iacet tumulo.

XLVII.

ABacuc, de tribu Symeon, in agro Bethacar ortus est, & hic ante biennium reuersionis filiorum Israël, de captiuitate in agro Sabarata uita decessit.

XLVIII.

SOphonias, de tribu Symeon, filius Chusi, in agro Saraba ortus, & gloriosa maiorum suorum stirpe progenitus, prophetauit, mortuusq; est atq; sepultus in agro suo.

XLIX.

AGgæus natus in Babylonia, iuuenculus Hierusalem uenit, ædificationem templi ex parte conspexit. Hic iuxta sacerdotum monumenta gloriose sepultus quiescit.

L.

ZAcharias, filius Barachiæ, cum eodem Aggæo, & eodem tempore prophetauit, de cuius uita, morte, & sepultura, Isidorus nihil dicit.

LI.

MAlachias post egressionem populi, in Soffi est genitus, uir iustus, & adspectu decorus, quem Iudæi Malachiam, id est, angelũ Domini ideo adserunt uocitatum, quia quæcunq; prædicabat, confestim angelo de cœlis adueniente, cõfirmabantur. Hic autem admodum iuuenis moritur, atq; in agro proprio sepelitur.

LII.

NAthan Propheta ex Gabaonitis, qui Dauid regem, legem Dei docuit, & peccatum quod gessit in Bersabeæ præuaricator, manifestauit. Hic etiam quod non ædificaret Dauid Domino templum, prædixit. Hic Salomonem unguento in principem consecrauit. Obiit autem senex, sepultusq; est cum dignitate.

LIII.

AChias Silonites, de ciuitate Heliæ, Salomoni regi prædixit, quod per mulieres à mandatis Dei declinaret. Et mortuus est Achias, atq; sepultus iuxta quercum in Sylo.

LIIII.

ADdo, in Samaria natus est. Qui ad Hieroboam immolante Idolis, missus, in sermone Domini uenit, eumq; arguit immolantem. Hunc ad propria reuertentem, leo in uia strangu

lauit. Sepultumq; eum tenet Bethel, ac Prophetam, qui eum fefellerat.

LV.

AZarias, in terra oritur Gabatha, mortuus atq; sepultus in agello suo.

LVI.

HElias Thesbites, de terra Arabum, cum esset in utero matris suæ in Galaath, Suba pater eius somnium uidit. Quod nascentem Heliam uiri candidis utentes uestibus salutabant. Quem in igneis institis fascibus obuoluebant, atq; pro cibo igne ei ad nutriendum eum subministrabat. Hoc uisum pater eius prophetis in Hierusalem indicauit. Hocq; ab eis recepit responsum, Ne timueris, inquiunt, erit enim natio eius lumen, uerbumque eius sapientia. Iudicabit enim Hierusalem in gladio & igne.

LVII.

HEliseus, ex Amelmaoth, de terra Ruben, cum nasceretur, uitula aurea cum magno boatu clamauit in Galgalis: ita, ut scilicet in Hierusalem boatus ipse audiretur. Dicit sacerdos, præsciens futurorum, Propheta, inquit, in Israël hodie nascetur, qui cuncta sculptilia destruet. Mortuus est igitur Heliseus, & in Samaria sepultus est.

LVIII.

ZAcharias, filius Ioiadæ sacerdotis, cxxx. annos agens, congregatis in atrio domus Domini populis, iuxta Ioas regis imperium, missis in eum lapidibus extinctus est. Hunc subleuatum continuo sacerdotes iuxta patrem sepeliunt.

LIX.

THobias, filius Ananiæ, ex tribu Neptalim, de ciuitate Cibihel, quæ est in regione Galilææ. Hic captiuus ductus est à Salmanasar rege Assyriorum in Niniue. Vir in timore Dei summus, in opere magnificus, in misericordia gloriosus, in exequiarum curis deuotus. Qui dum mortuos sepeliret, & inopes pasceret, cæcitate luminibus caruit, & post tenebras reseratis oculis,

lumen

lumē claritatis premeruit. Iacet in Niniue ciuitate, sepultꝰ in pace.

LX.

TRes pueri, stirpe regia clari, memoria gloriosi, scientia eruditi, fide pares, deuotione stabiles, incorrupti corpore, sobrii mente, iudices prouinciarum, & regionum principes, paternarum quoq; memores legum, & à cibis gentilium uel immolatis nequaquàm polluti, leguminibus uitam degentes, & oleribus. Hi uigore uirtutis, contempserunt mortem, Idolum non adorauerunt. Regem sæuissimum fidei Dei uirtute uicerunt. Restinxerunt quoq; camini flammantis incendia, & inter horrendas spissæ caliginis flammas hymnum apertis uocibus cecinerūt. Iacent in Babylonia pariter sub uno specu positi, & cum magna ueneratione sepulti.

LXI.

ESdras, sacræ scriptor historiæ, atq; alter lator legis post Mosen. Hic etiā legem incensam ex Gentibus renouauit. Hebraicarumq; literarum elementa inuenit. Hic reduxit Israël, & re ædificare fecit Hierusalem. Mortuus est autem, ac sepultus cum patribus suis humatus in Hierusalem.

LXII.

ZOrobabel, & Neemias, ex tribu Iuda, sub Dario rege templum Domini ædificant, muros Hierusalem extruunt, atq; Israël ad pristinū statum reducunt, cultū quoq; religionis, eiusq; sacerdotes, & Leuitas restituunt. Item, & ipsi in Hierusalem sepulti sunt.

LXIII.

ESder regina, filia fratris Mardochei, de stirpe Beniamin, captiua de Hierusalem in urbē Susim translata, atq; adspectu formæ, & perspicua uirginitatis excellentia, regi Persarum connubiis copulata. Hæc ut populum suū à periculo liberaret, morti se obtulit. Amicumq; regis aduersus populum Dei, nefaria persuadentem, trucidandum persuasit. Gentemq; liberam ab excidio eruit, atq; à seruitute eripuit. Iacet sepulta in Susis urbe Medorum, in qua etiam regnauit.

LXIIII.

IVdith, filia Merari, de tribu Symeon magnanimis, in gloria uirorum præstantior. Hæc pro salute populi, morti se obtulit, nec trepidauit furorem regium, nam dormientem necauit principem, saluo pudore, suis ciuibus triumphalem uictoriam reportauit. Vixit autem annis cv. Sepulta est in spelunca uiri sui Manasse, in Baccuni ciuitate, quæ est in tribu Iuda, inter Dotham & Balmon.

LXV.

MAchabæi vii. fratres in fide stabiles, in spe fortes, diuinæ legis constantissimi obseruatores, inter tormenta acerbissima patientes: Ab Antiocho rege, pro lege Dei, cum matre eorum atrociter interempti, coronas martyrii meruerunt.

VITA ET MORS

SANCTORVM NOVI Testamenti.

LXVI.

ZAcharias & Elizabeth ante Deum iusti, steriles in iuuentute, fœcundi in senio, requiescunt in Hierusalem.

LXVII.

IOhannes Baptista filius Zachariæ, ex tribu Leui, in Hierusalē ortus, angelo denunciante conceptus, prænuncius Christi, præco iudicis, Propheta altissimi, uox Verbi, amicus sponsi, testis Domini, lucerna luminis, terminus Prophetarum, baptismatis initium. Qui prænunciatus, parentis uocem abstulit. Genitus, officium linguæ resoluit, Qui, nec dum editus, Christum prophetauit: salutauit ex utero, in columba agnouit, in deserto monstrauit, cuius uestimentum lanugo fuit camelorum: habitatio, heremus: uictus, mellis & locustarum cibus. Hic dum Herodem prohiberet, fraternum uiolare coniugium, carceralibus tenebris

nebris mancipatus. Cuius caput regis filia ludēs, & patre præmiū postulauit: at ille desectū malæ poscenti filiæ ebrius inter pocula dedit. Sepultus est in Sebastea oppido Palestinæ, quæ olim Samaria uocabatur, quam Herodes rex Iudææ, Antipatris filius, ob honorem cæsaris Augusti, Græco nomine Augustam uocauit.

LXVIII.

MAria, quæ interpretatur domina, siue illuminatrix, clara ex stirpe Dauid, uirga Iesse, ortus conclusus, fons signatus, mater Domini, templum Dei, sacrarium Spiritus sancti, uirgo sancta, uirgo fœta, uirgo ante partum, uirgo post partum, uirgo in partu. Salutationem ab angelo accepit, & mysterium conceptionis agnoscit. Partus qualitatem inquirit, & contra legem naturæ obsequii fidem non renuit. Quam Dominus ipse in cruce positus, per sanguinis Testamentum, uirgini commendauit discipulo, ut ipsum mater haberet uice comitem, quem filius nouerat integritatis esse custodem. Hanc quidam corporalis necis passione, adserūt ab hac uita migrasse, pro eo, quod iustus Symeon complectens brachiis suis Christum, prophetauerit, dicens, Et tuam ipsius animam, pertransibit gladius. Quod quidē incertum est, utrum pro martyrii gladio dixerit, an pro Verbo Dei ualido & acuto, præ omni gladio ancipiti. Specialiter tamē, nulla docet historia, Mariam gladii animaduersione peremptā, quia nec obitus eius uspiam legitur, dum tamen nec reperiatur sepultura.

LXIX.

SYmon Petrus, filius Iohannis, frater Andreæ, ortus in uico Bethsaida prouincia Galilææ, quæ est iuxta stagnum Genezareth. Cuius prima uocatione nominis, Bariona, legis directa generatio est. Petrus in Christo ecclesiæ firmamentum est, Cephas corporis Christi, principatus & caput est. Symon Iohannis, uirginitatis generatio incorrupta est. Qui dum eata Iohannem habeatur tertius, iuxta Matthæum eligitur primus: nec immerito, quia Apostolorum princeps est, & confessor primus filii Dei, &

discipulus & pastor humani gregis, petra ecclesiæ, clauicularius regni, amator Domini, atq; negator. Confitendo laudatus, præsumendo elatus, negando lapsus, lachrymando purificatus, confessione probatus, passione coronatus. Cuius nomini ex opere datur titulus, ex merito potestas imponitur. Hic in Gallitia, Ponto, Cappadotia, Bithynia, Asia, atq; Italia Euangelium prædicauit, atq; harum uirtutum signis effulsit. Pendulo gressu feruidus, mare calcauit: præteriens, umbra infirmos sanauit. Claudo, pristinum integrauit officium: paralytici fluida membra, in proprium reparauit statum: Ananiam & Zaphyram reos perfidiæ, mortis animaduersione damnauit. Symonem etiam magicis artibus cœlum conscendentē, ad terram elisit. Hic postquàm Antiochiā ecclesiam fundauit, sub Claudio cæsare contra eundem Symonē magum Romam pergit, ibiq; prædicans Euangelium, uiginti quinq; annis, eiusdem tenuit pontificatum. Septimo autē & tricesimo anno post passionem Domini, à Nerone cæsare, in urbe Roma, deorsum uerso capite, ut ipse uoluit, crucifixus est. Sicq; post Apostolicum meritum etiam martyrio coronatur. Sepultus Romæ in Vaticano, secus uiam triumphalem, tertio lapide ab urbe ad orientalem plagam.

LXXI.

PAulus, qui ante Saulus, Apostolus Gentium, aduocatus Iudæorum, à Christo de cœlo uocatus, in terram prostratus, qui oculatus cecidit, cæcatus surrexit. Ex persecutore, effectus est uas electionis: ex lupo, ouis. Inter Apostolos uocatione nouissimus, prædicatione primus. In lege Gamalielis discipulus, in Euāgelio Christi seruus, cuius patria Iudæa fuit, genitus de tribu Beniamin. Hic secundo post ascensionem Domini anno baptizatus, dignitatem meruit Apostolatus: atq; plus omnibus laborans, multo latius inter cæteros, Verbi gloriam seminauit, atq; doctrinam Euangelicam, sua prædicatione compleuit. Incipiens enim ab Hierosolymis, usq; ad Illyricum & Italiam, Hispaniasq; processit, ac nomen Christi multarum manifestauit gentium populis,

quibus

quibus ante non fuerat declaratum, cuius miracula ista esse noscuntur. Raptus, tertium cœlum conscendit, seducentem Phitonis spiritum discedere imperauit, ac discessione damnauit. Adulescenti mortuo, uitalem redintegrauit spiritum. Cæcitate percutit magum: claudo, proprium reformauit incessum. Diri serpentis, nec sentit, nec corruit morsu, sed igni dedit arsurum: patrem etiam Publii, à febribus orando sanauit. Ob amorem Christi, multas passiones, grauiaq; corporis sustinuit tormenta. In primis Iudaicas persecutiones, & Gentium miserias, & laborem, famē, sitim, frigus, & nuditatē, die noctuq; profundi maris, naufragia & mille pericula. Rabiem ferarū, uerbera, carcerales tenebras, & tormenta, cathenarum squalores, & uincula. Inter hæc ligatur à Iudæis, traditur Gentibus, lapidatur ad necem, in sporta per murum demittitur, uirgis cæditur, pœnis artatur. In carcere uinctus, terremotu facto, resoluitur. Ad ultimum, à Nerone gladio cæditur, eo die, quo & Petrus crucifixus est. Sic enim oportuerat, ut hi, qui simul confessi sunt, uno die coronarentur. Sepultus Romæ in uia Ostiensi, anno post passionem Domini xxxvii. tertio ab urbe Roma miliario, contra orientalem plagam.

LXXII.

ANdreas, qui interpretatur decorus, frater Petri, secundum Iohannem primus: iuxta Matthæum, à primo secundus. Hic in sorte prædicationis, Scythiam, atq; Achaiam accepit, in qua etiam ciuitate Patras cruce suspensus, occubuit.

LXXIII.

IAcobus, filius Zebedæi, frater Iohannis, quartus in ordine xii. tribubus, quæ sunt in dispersione Gentium. Scripsit, atq; Hispaniæ & occidentalium locorum populis Euangelium prædicauit, & in occasu mundi lucem prædicationis infudit. Hic ab Herode Tetrarcha gladio cæsus, occubuit. Sepultus in Carmarica.

LXXIIII.

IOhannes, Apostolus & Euangelista, filius Zebedæi, frater Iacobi, uirgo electus à Domino, atq; inter cæteros magis dilectus,

Qui etiam super pectus Magistri recumbens, & Euangelii fluenta, de ipso sacro Dominici pectoris fonte potauit, & quasi unus de paradisi fluminibus Verbi Dei gratiam in toto terrarum orbe diffudit. Quique in locum Christi, Christo iubente, successit, dum suscipiens matrem Magistri discipulus, etiam ipse pro Christo, alter quodammodo derelictus est filius. Hic dum Euangeliũ Christi, in Asia prædicaret, & Domitiano cæsare in Pathmos insulam metallo relegatur, ubi etiam postea Apocalypsim scripsit. Interfecto autem & Senatu Domitiano, exilio resolutus, recessit Ephesum. Ibique ob Hæreticorum refutandas uersutias, efflagitatus ab Asiæ Episcopis, Euangelium nouissimus edidit. Cuius quidem inter alias uirtutes magnitudo signorum hæc fuit, mutauit in aurum sylueſtres frondiũ uirgas, littoreaque saxa in gemmas. Item gemmarum fragmina in propriam reformauit naturam. Viduã quoque præcepto populi suscitauit, & rediuiuum iuuenis corpus, reuocata anima reparauit. Bibens letiferum haustum, non solũ euasit periculum, sed eodem prostratos poculo, in uitæ reparauit statum. Hic anno lxviii. post passionem Domini Saluatoris, sub Traiano principe, longæuo uetustatis senio fessus, cum diem transmigrationis suæ imminere sibi sentiret, iussisse fertur effodi sibi sepulchrum, atque inde ualedicens fratribus, facta oratione, uiuens tumulum introiuit: deinde, tanquàm in lectulo in eo requieuit. Vnde accidit, ut quidam eum uiuere adserunt: nec mortuum eum in sepulchro, sed dormientem iacere contendunt, maxime pro eo, quod illic terra sensim ab imis scaturiens, ad superficiem sepulchri conscendat, & quasi flatu quiescentis deorsum ad superiora puluis ebulliat. Quieuit autem apud Ephesum vi. Calendas Ianuarii.

LXXV.

PHilippus, & Bethsaida ciuitate, unde & Petrus, Gallis prædicat Christum, Barbarasque gentes, uicinasque tenebris, & tumenti Oceano coniunctas ad scientiæ lucem, fideique portum deducit. Deinde in Hierapoli Phrygiæ prouinciæ urbe, crucifixus, lapidatusque

pidatusq; obiit. Rectoq; sepultus cadauere, simul cum filiabus suis ibidem requiescit.

LXXVI.

THomas, Apostolus Christi, didymus nominatus, & iuxta latinam linguam, Christi geminus, & similis Saluatori, audiendo incredulus, uidendo fidelis. Hic Euangelium prædicauit, Parthis, & Medis, & Persis, Hircanisq;, ac Traianis, & destinãs orientalem plagam, & interna Gentium penetrans. Ibiq; prædicationem suam, usq; ad titulum suæ passionis perducens, lanceis transfixus, occubuit in Calaminia ciuitate Indiæ, ubi & sepultus est in honore.

LXXVII.

BArtholomæus Apostolus, nomen ex Syria lingua suscipiẽs, Licaoniam in sorte prædicationis accepit, atq; Euangelium iuxta Matthæum apud Indos, in illorum linguam conuertit. Ad ultimum in Albano maioris Armeniæ urbe, uiuens à Barbaris deceoriatus, sicq; terræ conditus est.

LXXVIII.

MAtthæus, Apostolus & Euangelista, qui etiam ex tribu suæ Leui, sumpsit cognomen, ex publicano à Christo electus, ex peccante translatus. Primum quidem in Iudæa euangelizat, postmodum in Macedonia prædicat, requiescit in montibus pastorum.

LXXIX.

IAcobus Alphæi, Episcopus Hierosolymorum primus, cognomento iustus. Sororis matris Domini filius, unde & frater Domini uocatur. Homo lucis, & operarius ueritatis: tantæq; etiam sanctitatis, ut fimbriam uestimenti eius, certatim cuperent attingere populi. Hic dum in Hierusalem Christum Dei filium prædicaret, de templo à Iudæis præcipitatus, lapidibus opprimitur. Ibique iuxta templum humatur. Quem Iosephus tantæ sanctitatis in Iudæa perhibet extitisse, ut propter eius interfectionem Hierosolyma credatur esse diruta.

LXXX.

IVdas, Iacobi frater, in Mesopotamia, atq; in interioribus Pon ti Euangelizans, feras & indomitas Gentes, quasi beluarum naturas, sancto dogmate mitigat, & fidei diuinitate subiugat.

LXXXI.

MAtthias, de lxxii. discipulis unus, & pro Iuda Iscarioth duodecimus inter Apostolos subrogatus, electus est sorte, & solus sine cognomine. Cui datur Euangelium prædicationis in Iudæa.

LXXXII.

SImon Zelotes, qui prius dictus Chananæus, zelo Domini feruens, par in cognomento Petri, & similis in honore. Accepit Aegypti principatum, & post Iacobum Iustum, cathedram tenuit Hierosolymorum. Post annos autem cxx. meruit sub Traiano per crucem sustinere martyrii passionem. Iacet in Bosphoro.

LXXXIII.

HI fuerunt Christi discipuli, prædicatores fidei, & doctores Gentium, qui dum omnes unum sint, singuli tamen eorum propriis, certisque locis in mundo ad prædicandum, sortes proprias acceperunt. Petrus nanque, Romam accepit: Andreas, Achaiam: Iacobus, Hispaniam: Iohannes, Asiam: Thomas, Indiam: Matthæus, Macedoniam: Philippus, Galliam: Bartholomæus, Licaoniam: Symon Zelotes, Aegyptum: Matthias, Iudæam: Iacobus frater Domini, Hierosolymam: Iudas frater Iacobi, Mesopotamiam. Paulo autem, cum cæteris Apostolis, nulla sors propria traditur, quia in omnibus magister, & prædicator eligitur. Nam sicut Petro & reliquis circuncisionis est Apostolatus datus, ita Paulo præputii in Gentibus. Hic autem septem ecclesiis, & tribus euangelizat discipulis.

LXXXIIII.

LVcas Euangelista, & Apostolicæ conscriptor historiæ, natione Syrus, arte medicus, Græco eloquio eruditus, quem plerique tradunt proselitum fuisse, & Hebræas literas ignorasse. Hic

tamen

tamen fuit Pauli discipulus, & indiuiduus comes peregrinationis eius. Quicq; ab ineunte pueritia, castissimus fuit, & Euangelicæ prædicationis opus exercuit. Obiit lxxiiii. uitæ suæ anno, sepultus in Bithynia. Cuius quidem ossa, regnante Constantino, in Constantinopolis sunt translata.

LXXXV.

MArcus, Euangelista secundus, Petri discipulus, eiusq; in baptismate filius. Cuius quidem Euangelium nonnulli à Petro Romæ dictatum ferunt. Hic, ne ad sacerdotium promoueretur, abscidisse sibi pollicem fertur. Primus tamen Alexandria cathedram tenuit, primusq; ecclesiam Aegyptiorum fundauit. Tantis doctrinæ & continentiæ uirtutibus florens, ut omnes discipuli Christi, eius imitationem sequerẽtur. Mortuus est viii. Neronis anno, placita quiete sepultus.

LXXXVI.

BArnabas, qui & Ioseph, natione Cypriæ ciuitatis, à Cyro rege Persarum conditæ, cum Paulo in Gentibus Apostolatum adeptus. Deinde propter Iohannem discipulum, qui etiam cognomento Marcus adpellatur, seiunctus à Paulo, nihilominus Euangelicæ prædicationis iniunctum sibi opus exercuit.

LXXXVII.

TImotheus, Ephesiorum Episcopus sanctus, de ciuitate Tharensium, patre Græco, id est, Ethnico, matre autem Iudæa, ut refert Apostolus, dicens, Quæ habitauit fides in auia tua Loide, & matre tua Eunica, certũ aũt scio quod in te quoq;. Hic autem fuit discipulus Pauli, eiusq; spiritalis filius, quem puerum, proprie secum idem Paulus adsumpsit. Qui pudicus & uirgo permansit: quicq; apud Ephesum, in monte, qui uocatur Pion, cum magno honore sepultus, quiescit.

LXXXVIII.

TItus, Pauli discipulus, & in baptismo filius, natione Græcus, & ex Gentibus solus à Paulo Apostolo post Euangeliũ circuncisus, quem ad struendas Cretæ ecclesias præfatus reliquit Apostolus. Ibicq; in pace defunctus est, atq; sepultus.

ALLEGORIAE

QVAEDAM SACRAE SCRIPTVRÆ, Isidoro authore.

DOmino sancto, ac reuerendissimo fratri Orosio, Isidorus. Quædam notissima nomina legis, Euangeliorumq; sub allegoria imaginarie obteguntur, & interpretatione aliqua egent, breuiter deflorata, contraxi celeriter, ut plana atq; aperta lectoribus redderem. Quæ quia inexplicata sunt adnotata, breuis materiola dicendi coegit, & nec libelli modum permisit efficere, nec plenissime figurarum mysteria explicare. Erat quidem sensus ita, ut ex dictis quæ posita sunt, & præcedentia & subsequentia intelligantur. Hæc itaq; cognitioni tuæ, ut tractanda atq; probanda offerimus, quid in ratione uerborum ac sensuum inerudite dependet, emendandum solicite cures. Ego enim, mihi charissime, in huius operis reprehensione excusabilem meipsum æstimabo. Quia hæc non meo conseruaui arbitrio, sed tuo commisi corrigenda iudicio.

Adam figuram Christi gestauit, nam sicut ille sexta die formatus est, ad imaginem Dei: ita sexta mundi ætate, filius Dei, carnis formam induit, hoc est, formam serui accepit, ut reformaret hominem ad similitudinem Dei.

Eua, designat ecclesiam, factam per mysterium lauacri, quod de latere morientis Christi profluxit.

Abel, pastor ouium, Christi tenuit typum, qui est uerus pastor, ponens animam suam pro ouibus suis, uenturus rector fidelium populorum.

Cayn, frater eius, ætate maior, qui eundem Abel occidit in campo: priorem significat populum, qui interfecit Christum in Caluariæ loco.

Enos filius Cayn, in cuius nomine pater condidit ciuitatem, significat impios in hac tantum uita fundatos.

Seth

Seth, qui resurrectio interpretatur, demonstrat Christũ HIESVM, in quo est uera resurrectio, & uita fidelium.

Enos, filius eius, qui spe inuocauit nomen Domini, declarat in spe uiuentem ecclesiam, donec ad beatitudinem promissæ felicitatis perueniat.

Lamech, seculi huius figuram tenuit, cuius peccatum Christus, per sanguinis sui effusionem post lxxvii. mundi generationes absoluit, iuxta quod eas Lucas Euangelista scripsit.

Enoch, qui fuit septimus ab Adam, & translatus est, significat septimam requiem futuræ resurrectionis, quando transferebuntur sancti in uitam perpetuæ immortalitatis.

Noe, qui interpretatur requies, similitudinem præfert Domini, in cuius ecclesia requiescunt, quicunq; ab huius seculi excidio liberantur, sicut in Arca.

Sem uero Patriarcharum & Apostolorum tenuit typum, qui ex eius stirpe nascuntur.

Iapheth, figurauit populũ Gentium, qui uersatur in ecclesiis Israelitarum.

Cham, Iudæorum designat imaginem, qui Christi carnem, atq; mortem deriserunt.

Chanaan, filius eius, qui pro patris delicto maledictione damnatur, posteritatem indicat Iudæorum, qui in passione Domini damnationis sententiam exceperunt, clamantibus Iudæis, Sanguis eius super nos, & super filios nostros.

Nemroth gygas, diaboli typum expressit, qui superbiæ adpetitu culmen celsitudinis adpetiuit, dicens, Ascendam super altitudinem nubium, & ero similis altissimo.

Eber, in cuius domo, propria loquela remansit, cæteris linguis diuisis, redemptorem nostrum insinuat, in cuius ecclesia unitatis fides, sine schysmate perseuerat.

Melchizedec, qui de fructibus terræ, sacrificium Domino obtulit, regnum Christi, qui est uerus rex iustitiæ, uel sacerdotium figurauit, cuius corporis & sanguinis sacramentum, id est, oblatio panis & uini, in toto orbe terrarum offertur.

Abraham, Dei patris gestauit typum, qui filium suum dilectum, pro mundi salute tradidit immmolandum.

Tres angeli ad eum uenientes, diuinam historialem insinuant Trinitatem.

Duas autem uxores, quas habuit Abraham, id est, liberam & ancillam, Apostolus duo esse testamenta designat.

Isaac, & Ismahel, duos populos ex utroq; testamento procedentes significant.

Puer Abraham, imaginem priscæ legis designat, per quem prophetice Domino nostro HIESV Christo, sponsa ecclesia præparata est.

Esau, hispidus atq; rufus, populus est primus, in Christũ & Prophetas impia persecutione sanguinis, & inditio pilosæ cutis, tegmine peccatorum horribilis.

Iacob autem Christum demonstrat, siue populum Gentium, qui Dei patris benedictione prælatus est priori populo Iudæorum.

Laban, legis & diaboli habuit typum, ex cuius corpore adsumpsit sibi Christus duas coniuges, plebis scilicet circuncisionis, & Gentium.

Lya, Synagogæ figuram habuit, quæ infirmis oculis cordis, sacramenta Dei speculari non potuit.

Rachel uero, clara adspectu, ecclesiæ typum tenuit, quæ contemplationis acie, Christi mysteria cernit.

Vir, qui cum Iacob luctam iniit, Christi certamen cum populo Israël figurauit, nam sicut Iacob claudicauit in certamine, ita Iudæi claudicauerunt fide in Domini passione.

Loth, typum habuit sanctorum, qui in fine seculi, ab impiorum incendio liberabuntur.

Vxor Loth, eorum tenuit typum, qui per gratiam Dei uocati, postmodum retro respiciunt.

Consequenter ipse Loth, legis gestauit personam, de qua infidelitatis opere pereunt, qui etiam carnali intellectu utuntur.

Filiæ eius duæ, Samariam significant & Hierusalem, quæ fornicantur

nicantur in lege per adulterium illicitæ doctrinæ.

Ruben primogenitus, interpretatur uisionis filius, populum figurauit, qui uiolauit cubile Dei patris, quando carnem quam sibi Christus spoponderat, confixit in patibulo crucis.

Simeon, scribas designat Iudæorum, qui in furore suo occiderunt Prophetas, & in dolore suo suffoderunt fixuris clauorum, Christum firmissimum murum, in quo credentes stabili robore communiuntur.

Leui, & author & figura est principum sacerdotum, qui Christum crucifixerunt.

Iudas, significat Christum, qui in cubili sepulchri, quasi leo securus, corporis somno, deuictoq; mortis imperio, post triduum resurrexit.

Isachar, ecclesiæ tenuit typum, qui subiecit humerum suum adcrucis onus portandum.

Zabulon eandem significat ecclesiam, quæ secus fluctus huius uitæ inhabitantes, omnes tentationes & turbines seculi portat.

Neptalim, exprimit omnes sanctos prædicatores, qui instar cerui transilientes, ad superna se erigunt, cunctisq; credentibus doctrinæ eloquia conferunt.

Dan, Antichristum significat, qui in uia uitæ huius, ungulas equi, id est, extrema seculi supplantare nititur, morsu pestiferæ prædicationis, unde eiiciat eos, qui extolluntur in huius mundi delitiis.

Gad, Christum demonstrat, qui secundo aduentu suo, contra Antichristum accinctus uirtute iudicis præliandum se nunciat.

Aser, eundem demonstrat Dominum HIESVM Christum, cuius pinguis est panis in ore fidelium.

Ioseph, qui uenditus est fratribus, & in Aegypto sublimatus, redemptorem nostrum significat, à populo Iudæorum in manus persequentium traditum, & nunc in Gentibus exaltatum.

Beniamin, Pauli Apostoli imaginem prætulit, qui & minimus omnium Apostolorum fuit, electione, & de tribu eius descen

dit, iste est lupus rapax, mane persecutor diripiens, uespere doctor pascens.

Manasses, prioris populi figuram gestauit.

Effraim autem Gentium, qui per benedictionem Patriarchæ præpositus est maior populo Iudæorum.

Thamar ecclesiæ imaginem gestat, quæ à Christo per annulũ fidei, & uirgam crucis, conceptionem sanctæ meruit ubertatis.

Duo gemini in utero Thamar, duos populos figurauerunt, quorum posterior natus, qui manum prior ex utero misit, quia Gentium populus antea quidem est per Prophetas ostensus, & postea reuelatus. Cuius ideo obstetrix ligauit dexteram cocco, quia idem populus per sanguinẽ Christi, crucis notatus est signo.

Dina, filia Iacob, synagogam uel animam significat, quem exterioribus seculi curis repertam, Sichem princeps terræ opprimit, id est, diabolus uitio concupiscentiæ carnalis corrumpit.

Sala, concubina Iacob, quam Ruben incesto crimine polluit, significat legem Veteris Testamenti, quam populus Israël præuaricando commaculauit.

Iob, in factis dictisq; suis personam exprimit redemptoris.

Vxor eius, quæ eum ad maledicendum prouocat, carnalium prauitatem designat.

Tres amici Iob, typum tenuerunt Hæreticorum, qui sub specie consolandi, studium seducendi gerunt.

Heliud, uero doctorem superbum, & arrogantem demonstrat, qui durius interpretationem suam, fidelibus intra sanctam ecclesiam irrogat.

Pharao, figuram habuit diaboli, qui in huius seculi captiuitate populum Dei perdere, & terrenis uitiorum operibus prægrauare tentauit.

Filia Pharaonis, quæ Mosen expositũ ad ripã fluminis collegit, ecclesia Gentiũ est, quæ Christũ ad flumẽ salutaris lauacri reperit.

Moses, typum Christi gestauit, qui populum Dei à iugo diabolicæ seruitutis eripuit, & ipsum diabolum in æterna pœna damnauit.

Aaron

Aaron sacerdos, qui cruore uictimarum populum expiabat, significat Christum, qui sacrificio sanguinis sui peccata, diluit mundi.

Maria, soror Mosi, Synagogæ speciem prætulit.

Vxor Mosi Aethiopissa, figurauit ecclesiam ex Gentibus Christo coniunctam, cuius ob caussam zeli Synagoga obtrectans aduersus Christum, ilico contagio lepræ perfunditur.

Amalech, designat diaboli figuram, qui obuius Dei populo, per signum crucis euincitur.

Seon quoq; rex Amorreorum, qui uertitur in Latinum, tentatio oculorum, eundem diabolum significat, qui mendacio fallendi, se uelut lucis angelum transfigurat. Ipse est rex Basan, qui interpretatur conclusio, qui intercludere molitur difficultate uitiorum uiam fidei nostræ, ne pateat nobis transitus ad regnum promissum æternum.

Septuaginta uiri seniores, super quos cecidit spiritus Dei, lxx. nationum linguas in hoc mundo diffusas, ostendunt, ex quibus multi credentes, gratiam Spiritussancti acceperunt.

Dathan, & Abyron, & cæteri, qui se à Mose & Aaron segregantes, sacrificium usurpare, ac sumere conati sunt, hæreticorũ prauitatem designant, & perniciem eorum, qui se à sacerdotibus Christi, & à societate ecclesiæ diuidunt, & sacrificia prophana sumunt.

Balaam, qui cadens, apertos oculos habet, typum eorum tenuit, qui per fidem cognitionem Dei habent, sed obscurati operibus corruunt.

Phinees, qui Zambri & scortum in adulterio conuersantes, pariter interemit, figuram tenuit sanctorum doctorum, qui Iudæos & Hæreticos spiritali mucrone in amplexu falsæ doctrinæ cõcurrentes feriunt.

Ille qui in Sabbato ligna collegit, significat eum, quem cum peccato dies iudicii inuenerit.

Duodecim exploratores, scribarum & phariseorum imaginẽ

tenuerunt, qui Israëliticum populum auerterunt, ne considerent gratiam diuinæ repromissionis adipisci posse per Christum.

Duo portitores, qui in terra promissionis, botrum in ligno humeris gestauerunt, duorum populorum significantiam expressierunt, quorum prior Iudaicus gradiens aduersus, tergo dat Christo, posterior Christianus eum quem uehit, inspicit & sequitur Christum.

Hiesu Naue, imaginem Saluatoris expressit, qui nos in terrã repromissionis induxit, & in regnum cœlestis gloriæ collocauit.

Raab, figuram habet ecclesiæ, quæ per coccum, id est, per passionis Dominicæ signum, ab interitu mundum liberauit.

Duo exploratores, missi ab Iesu in Hiericho, quos suscepit Raab, duo intelliguntur testamenta, in mundũ missa, quæ suscepit ecclesia, ex Gentibus congregata.

Achor, qui de Hiericho anathemate concupiuit, significat nequam Christianum, qui perceptam fidem, seculares mores, uel mundi illecebras adpetit.

Gedeon, qui cum ccc. uiris perrexit ad prelium, typum Christi gestauit, qui in signo crucis de mundo uictoriam reportauit, trecentorum enim numero, qui iuxta Thau literam continetur, species crucis ostenditur.

Sysara, typus diaboli fuit. Iabel autem, quæ de ligno tempora eius transfudit, ecclesiæ typum expressit, quæ per uexillum crucis, diaboli imperium interfecit.

Ipsa quoq; Delbora eiusdem ecclesiæ typum portans, de uicto in Sysara diabolo, canticum cœlestis gloriæ proclamat.

Iephte, qui post uictoriam filiã immolauit, Redemptoris ostendebat figuram, qui ex mundo triumphans, carnem propriam in sacrificium obtulit.

Samson, Saluatoris nostri mortem & uictoriam figurauit, siue, quia de faucibus diaboli gentes, quasi fauum ab ore prærepti leonis abstraxit: siue, quia post mortem plures lucratus, plurimosq; moriens, quàm uiuos extinxit.

Dalida

Dalida, quæ Samson uerticem decaluauit, synagogam significat, quæ Christum in loco Caluariæ crucifixit.

Ruth alienigena, quæ Israëlitico uiro nupsit, ecclesiã ex Gentibus ad Christum uenientem, ostendit,

Booz autem Christum, uerum ecclesiæ sponsum expressit.

Anna, quæ fuit sterilis, & postmodum fœcunda effecta est, ecclesiam Christi, quæ prius in Gentibus erat sterilis, nunc largiter pollet per uniuersam terram, prole numerosæ fœcunditatis.

Heli sacerdos reprobatus, abiectionem sacerdotii Veteris Testamenti præfigurauit.

Samuel uero, qui reprobato Hely, in ministerio sacerdotali successit, noui sacerdotii successionem abiecto ueteri sacerdotio pronunciauit.

Duo filii Hely sacerdotes, qui capta à Gentibus Arca perempti sunt, significant posteritatem sacerdotii, prioris fuisse extinctã, & legis testamentum ad culmen Gentium esse translatum.

Saul, regni Iudaici insinuat repromissionem, uel reprobationem, siue eiusdem populi æmulationem, qui Dauid, id est, Christum, iniusto odio, inuidiæ, conatus est occidere.

Dauid, filii Dei & Saluatoris nostri expressit imaginem, siue quod insectationem Iudæorum iniusta persecutione sustinuit, siue quia Christus ex eius stirpe carnem adsumpsit.

Vrias Etheus, typum habuit diaboli, cuius coniugio prius erat copulata ecclesia, quam Christo concupiuit, lauantem à sordibus seculi semetipsam, & per lauacri undam purificantem.

Salomon, Christi prænunciat figuram, qui ædificauit domũ Deo in cœlesti Hierusalem, non de lignis & lapidibus, sed de sanctis omnibus.

Regina Austri, quæ uenit ad audiendam sapientiam Salomonis, ecclesia intelligitur, quæ ad Verbum Dei ab ultimis finibus terræ congregatur.

Roboam filius Salomonis, & Ieroboam seruus, quibus Israël in duas partes diuisus est, significant diuisionem illam, in Do-

mini aduentu faciendam, in qua pars credentium ex Iudæis, regnat cum Christo, qui est ex Dauid genere ortus. Pars uero secuta Antichristum, cuius ad cultum nefandæ seruitutis errore constricti sunt.

Golias, designat diabolum, cuius elationis superbiam, Christi prostrauit humilitas.

Helias, Christum demonstrat, quia sicut igneo curru, ad superna sublatus est, ita Christus carnem suam, in qua natus est & passus, & resurrexit, adsumpsit in cœlum.

Vidua, ad quam mittitur Helias pascendus, ecclesia est, ad quam per fidem Christus uenisse legitur, cuius farinæ & oleo benedicitur, & non deficit, id est, gratia corporis Christi, & chrysmatis unctio, quæ toto mundo quotidie impéditur, & nunquàm minuitur.

Heliseus, eundem redemptorem Dominum figurauit, qui de montis altitudine, id est, cœlorum descendens sublimitate, humiliauit seipsum à forma Dei, usq; ad formam hominis, ac mortuis membris, sua membra composuit: nostræ mortalitati, suo corpore medicinam aptauit.

Pueri, qui insultantes Heliseo, clamabant, Ascende calue, ascende calue, & inuasi ab ursis perierunt, indicant populum Iudæorum, qui per stultitiam deriserunt Christum, in loco Caluariæ crucifixum, & capti à duobus ursis, id est, Tito & Vespasiano, interierunt.

Puer Helisei, cum baculo ad resuscitandum mulieris filiũ missus, typũm priscæ legis ostendit, quæ generi humano transmissa, nihil præstitit, nisi quod in uirga solam austeritatem seueritatis monstrauit.

Sunamitis filius mortuus, humani generis figuram tenet, super quem Christus septies oscitans, spiritum septiformis gratiæ, spiritaliter adspirat, per quem à morte peccator reuiuiscat.

Septem milia uiri, de quibus dictum Heliæ, quod non curuauerunt genua ante Baal, significant numerum sanctorum, qui

spiritu

ſpiritu ſeptiformis gratiæ adimpleti, diabolo renunciauerunt.

Naaman Syrus, ſignificat populum ex Gentibus maculis delictorum pollutum, atq; à Chriſto per ſacramentum baptiſmi purificatum.

Ozias rex, qui ob meritum ſcelerum ſuorum, in fronte contagio lepræ perfunditur, regnum indicat Iudæorum, qui dedecus & malum perfidiæ in fronte gerunt, ubi crucis ſignum portare debuerant.

Ezechias rex, cui pro bono opere, xv. anni ad uitam adiiciuntur, ſignificat omnes ſanctos, quibus ad adquirendam uitã æternam, v. libri legis cum x. uerbis decalogi dati ſunt, ut per complementum legis, & præceptorum, regni cœleſtis plenitudinem conſequantur.

Ioſias rex, qui celebrauit paſca, & de templo Domini Idola multa depulit, ſignificat Chriſtum, qui pro nobis paſſionem ſuſcepit, atq; omnia execrabilia Gentium de templis corporis noſtri deiiciens, igne uirtutis ſuæ exuſta comminuit, atq; in huius ſeculi torrentem proiecit.

Sedechias, cuius oculus in Remblatha rex Babylonis euulſit, in Latinum uertitur Remblatha, multa hæc. Ideoq; iſte ſignificat eos, qui in huius mundi multa actione inuoluuntur, atq; à diabolo capti, intelligentiæ oculos perdunt.

Eſaias, formam Euangeliſtarum & Apoſtolorum expreſſit, qui uniuerſa ſacramenta Chriſti, non quaſi figuram, ſed quaſi præſentia prædicauit.

Hieremias autem, in uerbis & paſſionibus ſuis, mortem & paſſionem figurauit Domini Saluatoris.

Ezechiel, imaginem Chriſti geſtauit, qui poſitus in terrena peregrinatione populum ſalutaribus præceptis inſtigat.

Danihel, qui uitam cœlibem tenuit, ſimilitudinem habuit cõtinentia ſua, eorum qui ſunt in uita ſancta, & terrenorum copiis abutuntur.

Ozeas, Chriſti demonſtrat figuram, qui ex fornicatione Gentium, adſumpſit in corpore ſuo eccleſiam.

Iohel, qui interpretatur incipiens, indicat typice eos, qui fidei hostiū, & diuinæ scientiæ incipiunt cognoscere sacramentū.

Amos, pastor & rusticus, Christi est typus, qui ab officio pastorali pecorum, id est, ab Hebræorum regimine translatus, nunc alios greges pascit in cantibus.

Abdias, qui in Samaria, centum pauit Prophetas, significat omnes fidei prædicatores, qui in hoc mundo alimentis sacrarum scripturarum, omnes credentes reficiunt.

Ionas, Christi mortem figurauit, qui tribus diebus, ac noctibus, in corde terræ, quasi in uentre cœti, quieuit.

Abacuc luctator fortis, populus est fidelis, qui super excelsa cōstitutus in cruce, Dominum contemplatur, dicens, Cornua in manibus eius, ibi confirmata est uirtus gloriæ eius.

Sophonias, qui interpretatur speculator, uel absconditum Domini, significans eos, qui per contemplationis arcanum, ad perfectum perueniunt meritorum.

Aggæus & Zacharias, figuram gestauerunt sanctorum, qui nobis in huius peregrinationis uita, futurum tempus liberationis declarant.

Malachias, qui angelus Domini interpretatur, typum Saluatoris nostri tenuit, qui angelus magni consilii dicitur.

Iesus, sacerdos magnus, figuram gerebat Christi, per quem ex peregrinatione seculi huius, ad cœlestem Hierusalem nobis fuisse regressus comprobatur.

Zorobabel sacerdos, typus est Domini Saluatoris, qui reduxit de captiuitate populum, & de uiuis lapidibus, construxit Domino templum.

Iudith & Hesder, typum ecclesiæ gestant, hostes fide puniunt, ac populum Dei ab interitu eruunt.

Thobias, priscæ legis imaginem tenuit, cuius oculos Iudaici populi hyrundines obcæcant, dum eos luminis sacramenta male intelligentes obcæcant.

Thobias filius eius, Domini nostri HIESV Christi imaginē

habuit,

habuit, qui uelut absconditam, & obcæcatam figura, caligi/natam legem, claritate suæ uirtutis, illuminat.

Tres pueri, prætulerunt figuram sanctorum, qui corpus suum in persecutionem pro Christi nomine obtulerunt.

Susanna, figuram ecclesiæ habet, quam testes falsi Iudæi quasi adulteram legis accusant.

Nabuchodonosor rex, typus diaboli fuit, qui Hæreticorum plebem erroris captiuitate deuictam de Hierusalem, id est, de ec/clesia in Babyloniam, id est, in ignorantiæ confusione abduxit.

Princeps coquorum, qui muros Hierusalem subuertit, hic si/gnificat, quia omnis qui ueteris desyderio seruit, uirtutes ani/mæ destruit.

Machabæi vii. qui sub Antiocho acerbissima perpessi tormen ta, gloriosissime coronati sunt, significant ecclesiam septiformē, quæ ab inimicis Christi, multam martyrum stragem pertulit, & gloriæ cœlestis coronam accepit.

ALLEGORIAE

NOVI TESTAMENTI.

QVatuor Euangelistæ, HIESVM Christum, sub quatuor animalium uultibus figuraliter exprimunt.

Matthæus enim, eundem Redemptorem nostrum, natum & passum adnuncians, in similitudinem hominis comparat.

Marcus, à solitudine exorsus, leonis figuram induit, & Chri/sti regnum inuictum, potentiamq; proclamat.

Lucas quoq; per uituli mysticum uultum, Christum pro nobis prædicat immolatum.

Iohannes autem per figuram aquilæ, eundem Dominum post resurrectionem carnis demonstratur euolasse in cœlum.

Petrus, personā ecclesiæ gestat, quæ habet potestatem dimit/tendi peccata, atq; reducēdi ab inferis homines ad cœlestia regna.

Apostoli quoq; omnes, totius ecclesiæ portant typum, quia & iidem in dimittendo peccata, similem acceperunt potestatem, habentes quidem & formam patriarcharum, qui per uerbũ prædicationis, in toto orbe terrarum, Deo populos spiritaliter genuerunt.

Septuaginta duo discipuli, significant illustrationem totius orbis, per Euangelium Trinitatis. xxiiii. enim horis, mundus omnis peragitur, qui numerus triplicatus propter eandem trinitatem in septuaginta duobus deducitur. Idcirco autem mittuntur bini, propter prædicandum Dei honorem & proximi, uel mysteriorum gemina testamenta.

Ioseph, typice Christi gestauit speciem.

Maria autem, ecclesiam significat, quæ cum sit desponsata Christo, uirgo nos de Spiritusancto concepit, uirgo etiã parturit.

Zacharias sacerdos, qui angelo iubente obmutuit, silentium legis & Prophetarum, adueniente Christo, ostendit.

Iohannes, formam habuit legis, qui Christum adnunciauit, & remissionem peccatorum per lauacri gratiam prædicauit.

Magi, figurauerunt Gentium populum, legem fidei cognitum indicantes sacramentorum muneribus Christum, per thus esse Deum: per myrrham, hominem passum, atq; sepultum; per aurum, regem omnium seculorum.

Herodes, qui infantum necem intulit, diaboli formam expressit: uel Gentium, qui cupientes extinguere nomen Christi de mundo, in cæde martyrum sæuierunt.

Muti in Euangelio, significantur, qui fidem Christi non confitentur.

Cæci, qui fidem quam credunt, nequaquam intelligunt.

Surdi, qui non exhibent obedientiam præceptorum.

Claudi, qui implere præcepta salutaria negligunt.

Homo prudens, qui ædificauit domum suam supra petram, significat doctorem fidelem, qui in Christo doctrinæ suæ, & uitæ stabilimentum constituit.

Ille uero,

Ille uero, qui ædificauit domum suam super arenam, Hæreticorũ dogma designat, quæ sic ædificatur, ut ruinã faciat magnã.

Leprosus, quem Christus descendens de monte, primum curauit, humanum indicat genus, delicti contagio maculosum, hoc redemptor dum de cœlorum altitudine, quasi de monte descendit, uario cultu dæmonũ detrusit, atq; in unitatẽ fidei reparauit.

Centurio, fidem Gentium significat.

Puer autẽ Centurionis, & filia Chananææ mulieris, quos Christus non ueniens ad eos, saluat, easdem Gentes ostendunt, quas Dominus non corporali præsentia uisitauit, sed per fidem uerbi saluauit.

Ipsa quoq; mulier Chananæa, ecclesiæ ex Gentibus gerit figuram, quæ tanquàm canis quærebat micas de mensa Dominorũ, id est, satiari doctrinis Apostolorum & Prophetarum.

Socrus Petri febriens, significat Synagogam, æstu carnaliũ desyderiorum accensam, cuius filia est pars illa credentium, quæ data est Petro regenda.

Scriba repudiatus, qui propter quæstum Dominum sequebatur, significat eos, qui Christi fidem, non propter Dominũ, sed propter lucrum seculi, ecclesias adperunt.

Dæmoniacus, quem Dominus in regione Genesarenorum, & legione curauit, significat Gentilem populum, multorum cultibus dæmoniorum obnoxium.

Pastores porcorum fugientes, qui ea quæ gesta sunt nunciant in ciuitatem, significant principes impiorum, qui dum fidem Christi fugiant, uirtutes tamen eius stupentes, mirantur & prædicant.

Paralyticus iacens in lectulo, anima est, uitiis desolata in corpore suo, quæ dum fuerit gratia Christi per peccatorum remissionem sanata, confestim pristino robore recepto, resurget, & lectũ carnis, in quo debilis ante iacebat, ad domum uirtutũ reportat, ut se intra conscientiæ suæ, secreta constringat, & nequaquàm in exterioribus ultra uoluptatibus dissoluta discurrat.

Archisynagogæ filia, ad quam dum curandam pergeret Dominus, tamen priusquàm ad eam ueniret Dominus, tetigit eum à tergo mulier, quæ profiuuio sanguinis laborabat, figuram habuit ecclesiæ, uenientis ex Gentibus, quæ dum post præuaricationem, & post passionem, & post ascensionem Christi, credidit, quasi à tergo Dominum tetigit, & ante accipere salutem, quàm Synagoga promeruit.

Duo cæci, iuxta uiam sedentes, significant utrosq; populos Iudæorum, atq; Gentium, per fidem Christi, Christo adpropinquantes, qui dixit, Ego sum uia.

Dæmonium habens, cæcus & mutus, qui scribitur à Saluatore curatus, indicat eos qui ex Idololatria Gentium, ad fidem Dominicam conuertuntur, quibus tamen expulso à corde dæmonum cultu, dum primum lucem perceperunt fidei, postea ad laudandum Deum eorum lingua resoluitur, ut confiteantur eum, quem ante negauerunt.

Homo, manum habens aridam, significat Synagogam, uel animam, minime operibus infructuosam, cui cum dicitur, Extende manum tuam: admonet, semper porrigendam eleemosynam pauperibus.

Homo, de quo immundus spiritus exiens, & rursus eum occupat, significat populum Iudæorum, & hominem pœnitentem, cui per subsecutam negligentiam, aerius mentem occupat carnis uoluntas, adiunctis secum septem aliis spiritibus uitiorum, id est, iracundia, auaritia, inuidia, atq; ueteris ingluuie, inani gloria, fornicatione atq; superbia.

Paterfamilias, proferens de thesauro suo noua & uetera, Christus est, proferens de impenetrabili sapientia sua, gemina testamenta, scilicet Vetus, in quo fœlicitas terrena promittitur, & Nouum, per quod regnum cœlorum speratur.

Homo, qui seminauit in agro suo granum sinapis, Christus est, qui seminauit fidem in mundo, in quo uolucres cœli, id est, spiritales animæ requiescunt.

Mulier

Mulier, quæ fermentum abſcondit in ſatis tribus, ſignificat ſapientiam ſpiritalis doctrinæ, feruentem in trinitatis amore.

Homo, qui abſconditũ theſaurũ in agro reperit: ille eſt, qui in iſto mundo uenditus omnibus, Chriſtũ, uitãq; æternã adquirit.

Quinq; milia uiri, qui quinq; panibus, & duobus piſcibus paſti ſunt, eccleſiæ ſunt populi, qui per quinq; corporis ſenſus, alimento legis ſpiritalis, à Chriſto reficiuntur, & duplici teſtamento, quaſi gemellis piſcibus ſaturantur.

Quatuor autem milia uiri, qui aliis ſeptem panibus aluntur, eadem Gentium eccleſia eſt, quæ in quatuor partibus mundi diffunditur, atq; ubertate ſeptiformis gratiæ recreatur.

Ille qui ſæpe, nunc in ignem, nunc in aquam cadebat, mundum ſignificat. Ignis autem, inflammantem cupiditatem: aqua, carnis uoluptatem demonſtrat: in quibus ſemper arreptus quotidiano lapſu præcipitatur.

Moſes & Helias, qui adparuerunt cum Domino in monte, lex & prophetia intelliguntur, quarum uocibus paſſio, & reſurrectio, & gloria Domini declaratur.

Homo, habens centum oues, & relictis illis, ouem perditam quærit, ac repertam, humeris reuehit, figuram Chriſti expreſſit, qui relictis milibus angelorum in cœlo, ouem quem perierat in Adam, ut bonus paſtor, quæſitam in Gentibus reperit, atq; crucis ſuæ humeris ad paradiſum reportauit.

Mulier, quæ perditam reperit dragmã, eccleſia eſt, quæ animam diaboli laqueis adfecta, dum inuenerit per pœnitentiam, & angelorum & hominum facit lætitiam.

Debitor decem milia talentorum, ſignificat homines, qui Deo ſunt obnoxii, per tranſgreſſionem decem præceptorum, ſed ſicut nobis poſcentibus à Domino peccati uincula relaxantur, ita unuſquiſq; noſtrum dimittat, exemplo Domini, ne dũ minima debita in nobis peccantibus, non concedimus, maiora noſtra exoluere, cum uſuris pœnarum cogamur.

Diues, qui camelo comparatur, perſonam indicat Iudæorum,

de legis potentia gloriantur, quanquàm propter terrena Dominum colunt, non habent regnum cœlorum, ubi facilius Gentiũ populus criminibus tortuosus, & sarcinis peccatorum grauatus ingreditur per foramen acus, quasi per angustias passionis dolorum ac laborum.

Paterfamilias, qui operarios ad uineam conducit, denarium promittit, Christus est, qui uocat omnes ad culmen fidei, promittens eis præmium perfectæ beatitudinis.

Operarii, hora prima conducti, hi sunt, qui à rudimentis infantiæ cultum fidei consecuti sunt.

Qui autẽ hora tertia, hi, qui ab adolescentia ad fidẽ accesserũt.

Qui uero sexta conducti sunt, hi sunt, qui in iuuentutis ætate crediderunt.

Qui autem hora nona accesserunt, illi sunt, qui iam à iuuentute in senectutem declinati, gratiam perceperunt.

Qui uero ad ultimam horam, illi, qui iam decrepiti, & in extremo uitæ suæ tempore uocati; ad Christum uenerunt, qui tamen prioribus parem mercedem æternæ beatitudinis accipiunt. In illis conseruans Christus iustitiam, qui prima hora natiuitatis operati sunt. In istis impendens misericordiam, qui una uitæ hora laborauerunt.

Duo filii missi ad operandum uineam, duorum populorum typum demonstrant. Primus enim missus, uocatur Gentium populus, per naturæ intelligentiam ad operis diuini culturam, qui tamen prius contumax extitit, & sese iturum negauit. Aduenente autem Domino, priorem contumaciam sequente emendat obedientia. Secundus autem missus, Iudæos per legis cognitionem, respondit, Omnia quæcunq; dixerit Dominus, faciemus. Sed idcirco damnatur, quia non solum in professionem legis prauaricatus est, sed & in ipsum Dominum uineæ per parricidales manus excreuit.

Homo, qui uineam plantauit, Deus est, qui condidit Hierusalem, in qua ædificauit turrim, & torcular fodit, uidelicet templũ

& altare,

& altare, & sepe circũdedit, id est, angelorũ munitione uallauit.

Coloni autem, quibus uineam locat, populus est Israël, qui sub diuino cultu possedit Hierusalem.

Serui autem, qui tempore fructuum missi sunt, interfecti sunt à colonis, Prophetæ intelliguntur, quorum sanguis effusus est à Iudæis, dum ab eis quærerent iustitiæ fructum & legis.

Filius autem nouissime missus, quem eiectum coloni extra uineam occiderunt, Christus est, quem crucifixerunt Iudæi, eiicientes eum extra portas Hierusalem.

Coloni quoq; quos dominus uineæ perdit, populi Iudæorum intelliguntur, qui olim, ut uidentur, dispersi atq; perempti sunt. Illi autem agricolæ, ad quos uinea transferri præcipitur, significant Apostolos, uel successores Apostolorum.

Rex, qui fecit nuptias filio suo, Deus pater intelligitur, qui copulauit ex uirgine, carnis uirginem Christo. Serui uero, qui missi sunt uocare inuitatos, Apostoli sunt atq; Prophetæ, qui Iudæos per legem & Euangelium prouocauerunt. Sed illi modo terrenis uoluptatibus, modo carnis & legis onere pressi, solennitatem aduentus Domini contempserunt. Ex quo quasi indigni esse existimantur uitæ æternæ. Gentes autem introisse manifestantur.

Rex iratus, qui misit exercitus suos, & perdidit interfectores illos, & ciuitatem illorum incendit, Deus pater est, qui suscitauit Vespasianum cæsarem Romanorum, qui & populum gladio uastauit, & ciuitatem Hierusalem funditus, cum suis uniuersis euertit, ita, ut ulterius belligerare non possit.

Hominem autem, non habentem uestem nuptialem in accubitu, qui loquente rege, obmutuit, quem iubet seruis ablatum mitti in tenebras exteriores: ille est, qui in fide quidem cum cæteris requiescit. Sed si inuentus fuerit in die iudicii, uestem carnis habere pollutam, confestim iubetur ab angelis tolli, & mergi in gehennam ignis æterni.

Duo debitores, ex quibus unus debebat fœneratori denarios quingentos, & alter quinquaginta, significant utrunq; populũ Iu

dæorum & Gentium. Ex quibus ille, qui quinquaginta denarios debuit, Iudæorum typum habuit. Ille uero, qui quingentos, Gentis figurã expressit, qui ab initio mundi, debitor semper existens, chyrographum peccati, per pœnitentiam non soluit. Adueniente itaq; Christo, tandem credidit, atq; uberiore misericordia fructum accepit: unde, quia plus illi concessum est à Christo, amplius diligit Christum. Sicut scriptum est, Cui plus dimittitur, plus diligit.

Septem uero fratres; qui uni mulieri nupserunt, & sine filiis mortui sunt, homines infideles intelliguntur, qui per septẽ mundi ætates, in hac terra totam uitam suam, sine fructu iustitiæ consumpserunt.

Duo in lecto, illi significantur, qui remoti à turbis in otio quodammodo uitæ uacare uidentur.

Duæ molentes, qui negotiis temporaliũ rerũ circunferuntur.

Duo in agro, qui in ministerio ecclesiæ, tanquàm in agro Dominico operantur, ex quibus adueniente nocte, id est, seculi aduersitate, quidam permanent in fide, & adsumuntur ad uitam: quidam decidunt, & relinquentur ad pœnam.

Quinq; uirgines sapientes, omnes animæ sanctæ intelliguntur, per quinq; sensus corporis, nullam admittunt cordis corruptionem: idcirco, quinario numero computantur.

Quinq; autem uirgines fatuæ, quæ non habent in uasis oleũ, illæ animæ sunt, quæ habent quidem integritatem corporum, sed non seruant intra conscientiam boni operis testamentũ, dum in facie gloriantur apud homines, & non corde apud Deum. Ideoq;, quia in uasis peccatorum suorum mentis splendorem nõ gerunt, adueniente Domino à regni eius gaudio secludentur.

Homo peregre proficiscens, qui tradidit bona sua seruis suis, Christus est, qui post resurrectionem suam, ad cœlos regrediens, tradidit euangelicam gratiam, euangelicis negociatoribus fœnerandam. Sed primus seruus, in quinq; talentis sibi datis, quinq; libros legis accepit, quos doctrina & opere, decem præceptorum amplificauit.

Alius

Alius, duobus talentis, duo testamenta promeruit, eaq; moralí ac mystico sensu, pie dispensando duplicauit.

Tertius, sub figura unius talenti, gratiæ donum acceptum in terrenis uoluptatibus obscurauit, ideoq; proiectus est in infernũ, quia nullum inde operatus est fructum.

Alii in primo seruo sensus cordis & corporis acceptos. In secundo, intelligentiam & opus. In tertio, rationem intellexerunt.

Iuuenis filius uiduæ, quem Dominus mortuum extra portas urbis suscitauit, significat eum, qui palam quodlibet mortiferũ crimen admittit. Quiq; nonnunquãm audito Verbo Dei, à morte peccati resurgit, & per pœnitentiã Christo uiuere incipit. Redditurq; uiduæ matri suæ, id est, communioni ecclesiæ.

Homo qui descendebat ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in latrones, ipse Adam figuratur in genere suo, qui dum descendit de Paradiso cœlesti in mundũ, incidit in angelos tenebrarũ.

Samaritanus descendens, qui uulnera eius curauit, Christus est custos noster, qui de cœlo descendit, & genus humanum à uulneribus peccatorum curauit.

Stabularius, Apostoli sunt, uel successores eorum, qui infirmitatem nostram prædicatione Euangelica recreant.

Martha, quæ excepit Christum in domum suam, & ministrabat, significat ecclesiam in hac uita, Christum in corde excipientem, & in opere iustitiæ laborantem.

Maria soror eius, quæ sedebat secus pedes Christi, & audiebat Verbum, demonstrat eandem ecclesiam in futuro seculo, ab omni opere cessantem, & in sola contemplatione sapientiæ Christi requiescentem.

Homo, qui media nocte postulabat ab amico tres panes, similitudinem exprimit cuiusq;, qui in media tribulatione Dominum postulat, ut det ei scientiam Trinitatis.

Diues, cuius uberes fructus ager attulit, significat hominem luxuriis deditum, & abundantem peccatis, quem immoderate plus amplius peccare desyderantem, arguit Dominus, dicens,

Stulte, hac nocte auferunt animam tuam abs te, quæ parasti, cuius erunt?

Quinq; illi in domo una, id est, pater, mater, filius, filia, nurus, ex quibus duo in tres, & tres in duo diuiduntur, significant humanum genus, fide & religione inuicem separatum, partim in discissione schysmatis, quod duo significant: partim in numero, quod tria demonstrant. Diuisus est enim filius aduersus patrem suum, id est, populus ex Gentibus ueniens, aduersus diabolum, cum quo antea fuerat sociatus. Diuisa est & filia aduersus matrem suam, id est, plebs ex Iudæis credens, aduersus impiam Synagogam. Diuisa est & nurus, aduersus socrum suam, ecclesia uidelicet ex Gentibus, aduersus matrem sponsi sui Synagogam, de qua secundum carnem Christus fuerat procreatus. Qui homines separantur, sibi inuicem renunciantes: alij terrenam, alii cœlestem gloriam adpetentes.

Galilæi xviii. super quos cecidit turris in Siloa, & occidit eos, interitum plebis Iudæorum insinuat.

Decem & octo apud Græcos ex Iota & Thita, literis exprimuntur, quibus figuris nomen HIESV scribitur, in quem illi credere nolentes, pariter à Romanis cum sua urbe prostrati sunt.

Homo, qui arborem fici in uinea sua plantauit, Christus est, qui Synagogam in Iudaico populo condidit, quam cum Dominus quasi inutilé iussisset abscidi, fit illi, à colonis Apostolis fossa humilitatis, adhibetur & stercus, id est, confessio peccatorũ, sicq; in nouissimo credendo commutabitur in melius, dabit fructus iustitiæ copiosos.

Mulier, que x. & viii. annos infirmitatẽ habens, à Domino curata est, ecclesiæ typus est, quæ in fine temporum, salutem fidei consecuta est. Sex enim ætatibus mundus iste completur, cuius tamen tempus, habet tripartitam discretionem: unam, ante legem: alteram, in lege: tertiam, sub gratia. Sexies ergo terni, decem & octo efficiunt. Quo numero, tempus hoc nostræ salutis insinuatur, quando à Sathanæ uinculis soluti, quibus curuati eramus,

mus, donũ salutis, & spem supernæ contemplationis accepimus.

Hydropicus, quem Dominus curauit, demonstrat & hos quos fluxus carnalium uoluptatum, exuberans adgrauat.

Homo habens duos filios, Deus est, habens duos populos, quorum maior figuram tenuit Iudæorum, qui permansit in Dei cultu. Alter iunior Gentium, qui conditore deserto, seruus factus est Idolorum, quem per egestatem fidei reuertentem, clementer suscepit Deus pater, & pro conuersione eius, sub uituli typo, suum immolãt unicum. Tribuit etiam annulum fidei, & stola immortalitatis induit eum, quanquàm Iudæus frater liuoris torqueatur inuidia, propter salutem tamen eius, in gaudium concinit angelorum symphonia.

Dispensator prodigus, quem dominus à uilicatione remoueri præcepit, & fraudem faciens domino suo, relaxauit debitoribus partem, ut haberet, unde in posterum uiueret. Hæc comparatio, ad exemplũ nostri posita est: nam si ille à domino suo laudari promeruit, quia fraudem ei faciens, in posterum sibi de alienis rebus prouidit. Quanto magis Christo placere possumus, si ex propriis nostris misericordiam indigentibus faciamus, à quibus recipi in tabernacula æterna possimus.

Diues, qui induebatur purpura, significat Iudæorum superbiam, florentem quondã imperii claritate, uel honoris excellẽtia.

Mendicus ulcerosus, demonstrat Gentilem populum, confessionibus peccatorum humiliatum.

Quinq; fratres diuitis illius, qui apud inferos torquebatur, Iudæi intelliguntur, qui sub quinq; libris legis positi sunt.

Decem leprosi, qui mundantur à Domino, Hæretici significantur, qui in uarietate colorum, diuersitatem habent schysmatum. Quiq; ideo ad sacerdotes mittuntur, ut detersa omni uarietate errorum, unitatis percipiant sacramentum.

Iudex iniquus, qui dominum non timebat, adsidue tamen deprecantem uiduam exaudiuit, similitudo est, quia demonstrat quantam spem habere debet, qui dominũ indesinenter ex-

poscit. Cum etiam apud aures iniqui iudicis ualuerit frequens instantia uiduae deprecantis.

Ipsa autem uidua significare potest ecclesiam, perseuerantia sui petentem ultionem de inimicis suis diabolis uel Hæreticis.

Pharisæus, orans in templo, Iudæorum est populus, qui ex iustificationibus legis extollit merita sua.

Publicanus uero Gentilis est, qui longe à Deo positus, confitetur peccata sua. Quorum unus superbiendo recessit, humiliatus: alter confitendo, Deo adpropinquare meruit exaltatus.

Cæcus, sedens secus uiam, populum demonstrat Gentilem, qui per Christi gratiam, fidei meruit claritatem.

Zachæus, Gentilis est populus, gratia meritorum pusillus, qui tamen à terrenis actibus, subleuatus per lignum Dominicæ crucis mysterium contemplatur.

Homo nobilis, qui in longinquam abiit regionem, accipere sibi regnum, Redemptorem nostrum significat, qui usq; ad fines terræ peruenit, accipere regnum in populis Gentium.

Ciues, qui noluerunt eum regnare, Iudæi intelliguntur, qui Christum regem spreuerunt.

Seruus, qui mnam unam accipiens, decem adquisiuit, significat doctores, qui accepta gratia Euangelii, in x. uerborum prædicamentis, bene usi sunt, & docendo, multos in fide adquisierunt: idcirco, aduenienté Dño, laudabuntur, quia lucrati sunt.

Qui uero ex una quinq; adquisiuit, illos demonstrat, qui mandatum Dei seruantes, consequuntur scientiã legis in quinq; libris Mosi scriptam, eamq; docendo ad usum salutis necessarium fœnerantur.

Qui uero unam, ipsam in sudario conseruauit, ostendit eum, qui creditum sibi gratiæ donum, delicate, otioseq; tractauit, unde & recte amittit collatam gratiam, qui per negligentiam prædicare contempsit, ut ei augeretur quod laborauit.

Vidua, quæ in gazophylatio, duo iecit minuta, animam fidelem demonstrat, quæ in thesauro cordis sui, fructum dilectionis Dei, & proximi seruat.

Sponsus, Christus est, cuius nuptiæ cum ecclesia celebrantur, in cuius coniunctione, aqua in uinum mutatur, quia credentes per lauacri gratiam transeunt ad passionis coronam.

Architryclinus, Moses intelligitur, qui miratur meliorem & sanctiorem populum, per HIESVM in Euangelium congregatum, quàm illum priorem ab Aegypto inductum. Finitum enim uinum, ostendit sublatam esse gratiam Spiritus sancti à Iudæis, & per Apostolos in Gentibus contributam.

Mulier Samaritana, mystice intelligitur Synagoga quinq; libris legis quasi v. uiris secundum sensum carnis subiecta, quam misericorditer Dominus prouocat haurire aquam uiuam, lauacri scilicet percipere gratiam, uel secretam legis intelligentiam.

Mulier adultera, quæ offertur à Iudæis Domino lapidanda, est ecclesia ex Gentibus, quæ prius relicto Deo, in Idolis fuerat fornicata, hanc uolebat Synagoga zelans interfici, & Christus eã saluat per remissionem delicti: nec sinit eam perire, qui nouit ueniam condonare peccantibus.

Symon leprosus, Gentilis est populus, qui est à Redemptore mundatus.

Mulier, quæ unguento caput Domini unxit, ecclesia est, quæ fructum sui operis, fideiq; odorem, ad laudem Dei, & Christi gloriam refert.

Angelus ille, ad cuius descensum mouebatur aqua, quinq; porticibus cincta, Christus est, in cuius aduentu turbatus est Iudæorum populus, quinq; libris conclusus, descendente enim angelo, cõmouebatur aqua, & sanabatur infirmus, descendente de cœlis Christo, commotus est in passione eius idem populus, & sanatus est mundus.

Cæcus à natiuitate, quem Dominus postquàm unxit oculos, ad piscinam Siloæ misit lauandum, significat genus humanum, à natiuitate, id est, à primo homine errorum tenebris uenundatum, cuius oculos Dominus de sputo & luto liniuit, quia Verbũ caro factum est. Et lauari oculos in piscina iussit, ut baptizatus in

Christo, acceperit legem fidei, & credidit in eum, qui humilis in mundo apparuit.

Lazarus, quem Dominus triduanum fœtentem de monumẽto fuscitauit, significat mundum, quem grauissima peccati consuetudo corruperat, qui tamen quarta die mortis resuscitatur. Prima enim dies est mortis, tracta ex Adam propago mortis. Altera dies mortis est, trangressio legis naturalis. Tertius est dies mortis, præuaricatio datæ legis. Quartus dies mortis est, tẽpus Euangelicæ prædicationis, in quo die, Dominus suum opus respiciens misericorditer, resuscitare dignatus est.

Seruus principis sacerdotum, cuius dextra amputatur auricula, Israëliticus est populus, incredulitate similis effectus, hic dextram aurem amittit, dum ad siniſtram per intellectũ literæ transit, cui Dominus in his qui credunt auditũ restaurat fidei, & obedientiam Euangelici facit mandati.

Princeps sacerdotum, qui scidit uestimentũ suum in Domini passione: indicat Hebræum populum nudatum sacerdotio, euacuatum in regno scisso.

Barrabas, qui Iudæis dimittitur, significat Antichristum, quẽ illi errantes, meruerunt suscipere pro Christo.

Herodes & Pilatus, qui cum essent discordes, in passione Domini amicitia fœderantur: indicant primũ diuisos fuisse utrosq; populos circuncisionis & Gentium, qui tamen per passionem Domini in fide concordauerunt.

Symon Cyreneus, cui gestandum crucem imposuerunt, Gentilitatis intelligitur populus, qui peregrinus in lege, obediens efficitur Euangelio, crucis ipse Christi uector, & fidei baiulus factus.

Duo latrones, populum exprimunt Iudæorum ac Gentium, quorum unus incredulus, blasphemat Christum in cruce pendentem: alter fidelis, Iudæos increpat blasphemantes.

Quatuor milites, qui quatuor partes sibi de HIESV uestimẽtis fecerunt, præfigurauerunt quatuor partes mundi, quæ diuiserunt sibi eloquia Christi, sicut scriptum est, Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.

Mulieres, quæ Apostolis Domini resurrectionem adnunciant, lex & prophetia intelliguntur, quæ gloriam resurrectionis Christi, antequàm reuelaretur, quasi præcursores prædicauerunt.

Septem discipuli, cum quibus Dominus post resurrectionem suam conuiuasse describitur, septimam indicant post resurrectionis futuræ requiem, per quam omnes sancti per Christum æterna beatitudinis refectione saturabuntur.

LIBER PRAEMIORVM, B. ISIDORO authore.

PLenitudo Noui, Veterisq; Testamenti, quam in canone catholica recipit ecclesia, quæ Isidorus senior exposuit, iuxta uetustam priorum traditionem, ista est. In principio uidelicet, quinq; libri Mosi, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numerus, siue Deuteronomium, id est, recapitulatio legis, & quasi secunda lex. Hinc succedunt libri Iesu Naue, uel Iudicum: siue liber Ius, cuius est titulus Ruth: qui non ad historiam Iudicum, ut Hebræi adserunt, sed magis ad principium Regum pertinere uidetur. Hos sequuntur quatuor libri Regum, quorum quidem Paralipomenon libri duo, à latere annectuntur, quia earundé gestarum rerum continent caussas, quæ in libris Regum esse noscuntur. Quanquàm & alia sint uolumina, quæ in sequentibus diuersorum inter se temporum texunt historias, ut Iob liber, uel Thobias, Hesder, siue Iudith, necnon & Esdræ, seu Machabæorum libri duo. Sed hi omnes præter librum Iob, Regum sequentes historiam. Deinceps Iudæorum Annalibus, suis quibusq; temporibus prosequuntur, continentes tristia siue læta, quæ post excidium Hierusalem Iudaico populo accesserunt. Ex quibus quidé Thobias & Iudith, siue Machabæorum Hebræi non recipiunt, ecclesia tamen eosdé inter canonicas scripturas enumerat. Occur

runt dehinc Prophetarum libri, in quibus est Psalmorum liber unus, & Salomonis libri tres, Prouerbiorum scilicet, & Ecclesiastes: Deinde, Cantica canticorum. Duo quippe illi egregiæ, & sanctæ institutionis libelli, Sapientiam dico, & alium qui uocatur Ecclesiasticus, qui dum dicantur ab Iesu filio Syrach editi: tamen propter quandam eloquii similitudinem, Salomonis sunt titulo prænotati, qui tamen in ecclesia parem cum reliquis canonicis libris tenere noscuntur authoritatem. Supersunt autem libri sedecim Prophetarum, ex quibus quatuor sunt, qui maiora uolumina condiderunt, id est, Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel. Reliqui uero xii. breues sunt, & contigui, & ob hoc uno uolumine coartati. Quorũ nomina sunt hæc, Oseas, Iohel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Quidam autem Hieremiæ lamentationes segregantes, in uolumine eius secernunt. Sicq; quadraginta & quinq; libros Veteris Testamenti suscipiunt. Hic occurrit Testamentum Nouum, cuius primum Euangeliorum libri sunt quatuor, Matthæus & Marcus, Lucas atq; Iohannes. Sequuntur deinde Epistolæ Pauli Apostoli xiiii. id est, ad Romanos, ad Corinthios duæ, ad Galathas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Thessalonicenses duæ, ad Colossenses, ad Timotheũ duæ, ad Titũ uero, & ad Philemoné, & ad Hebræos singulæ. Epistolæ quoq; Iohánis iii. Petri duæ, Iudæ & Iacobi singulæ. Actus etiã Apostolorũ, & Apocalypsis Iohannis. Fiunt ergo in ordine utriusq; testamenti libri lxxii. Hæc sunt enim noua & uetera, quæ de thesauro Dei proferuntur: ex quibus cuncta sacramentorum mysteria reuelantur. Hi duo Cherubin, qui in confessione sanctæ Trinitatis iugiter decantantes, & hymnum dicentes erumpunt. Hæ literæ sacræ, hi libri integri numero & auctoritate. Aliud cum istis nihil comparandum. Quicunq; extra hos fuerint, inter hæc sancta & diuina, nullatenus sunt recipienda. Disputationes igitur Veteris ac Noui Testamenti, ordine librorum uel numero cursim breuiterq; parua narratione subiiciamus.

Genesis

Genesis iuxta fidem historiæ, describit fabricam mundi, & hominis conditionem, cataclysmum, & diuisionem terræ, confusionem quoq; linguarum, gestaq; omnium Patriarcharum, usq; ingressionem Israël in Aegypto.

Exodus continet Hebræorum seruitutem, ac x. plagas Aegypti, egressum populi & nubem protegentem, transitum etiam rubri maris, mersumq; cum curribus Pharaonem, & gloriam decantationum. Congressum quoq; heremi, cibum mannæ, fluenta in dulcedinem uersa, pugna Amalech, Mandata etiam decalogi, & arcam testamenti, dedicationéq; tabernaculi & oblationé.

In Leuitico autem lex sacrificiorum, hostiarumq; diuersitas indumentaq; pontificum, & Leuitarum ministeria describuntur. Ciborum etiam discretio, & diuersitas peccatorum, purgationesq; uel hostiæ ordinantur.

In Numeris uero egressæ de Aegypto tribus enumerantur. Quadraginta quoq; ac duarum per heremum mansionum sacramenta signantur.

In Deuteronomio autem, quæ est secunda lex, narrantur quæ inter Pharan, & Obeth, & Laban, & Asaroth usq; Cades Barnæ, fuerunt populo dicta à Mose, mandata uidelicet atq; promissa, maledictiones peccatorum, & promissiones beatitudinis. Ibi canit canticum Moses, & dat benedictionem filiis Israël. Ibiq; terra promissionis inscripta moritur atq; sepelitur. Nonnulli etiá Hebræorum quatuor tantum libros computant legis, id est, Genesim, Exodum, Leuiticum, & Numerum. Deuteronomium autem repetitionem eorundem librorum, & quasi quoddam legis mediatorium dicunt, ea duntaxat ratione, pro eo quod illa quatuor proprias rerum gestarum continent caussas, iste ergo omnium, quasi iterando continet.

In Hiesu Naue quoq; filii Israël, duce Hiesu Iordanē transeunt, ac secundo circunciduntur. Subuersisq; dehinc Chananæorum Gentibus, diuisionem terræ eorum hæreditates sorte suscipiunt.

In libro Iudicum continentur peccata & seruitus Israël, exclamationesq; populi, & miserationes Dei.

Liber Ruth eiusdem Moabitidis texit historiam, de cuius stirpe familia descendit Dauid. Hunc Hebræi libellum, ad Iudicum librum subiungunt, pro eo quod in diebus Iudicum, gesta esse commemorantur, quæ in eo scripta sunt. At econtra Latini, pro eo quod genus regni Dauid retexat ortum, & ex eadem Moabitide Ruth, ad corpus libri Regnorum ueracius eum pertinere contendunt.

Regum liber, quanquàm apud Latinos propter prolixitatem sui, in quatuor partibus sit defectus, apud Hebræos tamẽ in duobus diuisus est uoluminibus. Quorum primum Samuel scripsit, Arcam à Iudæis transisse ad Gentes. Heli quoq; sacerdotium in Samuelem mystice fuisse translatum, & in Dauid Saulis regis imperium.

Malachim uero regis Iudæ, & Israëliticæ Gentis gesta, quæ eorum per ordinẽ dirigit temporũ, ipsum quoq; Israël ob errorem Idololatriæ narrat in Assyriis transmigratum, ad extremum edocet uenisse Nabuchodonosor Hierosolymam, captumq; duxisse principem ac populum, & subuertisse urbem & templum.

Paralipomenon apud Hebræos, sub unius Libri uolumine continetur, appellaturq; ab eis Dabreiamin, id est, uerba dierum. Apud nos propter prolixitatem sui, in duabus descissus est partibus. Hæc est autem historia illa ordinem generationum & temporum continens, in qua scilicet re parua sanctarum scripturarũ æditio continetur. Nam quæ in historia Veteris Testamenti in locis suis aut omnino obmissa sunt, aut fortasse non plene digesta, in isto summatim ac breuiter explicata sunt. Cuius quidem series e latere legis siue regnorum adiuncta procedit, perueniens ad illud usq; tempus, quo & regnorum textus finitur.

Iob liber, cõtinet eiusdem sancti uiri damna, funera uel flagella, & contumeliosa consolantium dicta. Lamenta quoq; eius, in quibus totius mundi deplorat miseriam. Consolationes etiam Dei ad eum per turbinem, eiusq; duplicem bonorum in fine remunerationem. Hic autem ex suis passionibus & uerbis, Christi

expressit

expressit imaginem. Coniunx uero eius carnalium typum designat, qui intra Ecclesiam positi, uitam spiritualium moribus suis scandalizant. Amici uero eius, speciem prætulerunt hæreticorũ, ac figuram peruersorum dogmatum. Porro Heliu, qui aduersus Hiob graui exprobratiõe innititur, significat eos, qui intra Ecclesiam arroganter prædicant, & per tumorẽ cordis ac scientiæ fastu, quidquid proferunt, superbiæ exemplis ostendunt.

Liber Psalmorum quanquã uno concludatur uolumine, non est tamen editus uno eodemq; factore. Decem enim pene Prophetæ sunt, qui eos diuerso tempore scripserũt, id est, Moyses, Dauid, Salomon, Asaph, Eteman, Ethan, Idithum, & filii Choræ, Asir, & Heliazab, siue Esdras. Nonnulli etiam Aggæi & Zachariæ esse existimantur. De his autem qui sine titulis sunt, traditio talis est, ut cuius authoris præscriptio præcesserit, cæteri qui sine titulo sequuntur, ipsius esse credantur. Est autem hic liber allegoricus, ac typicis sacramentis signatus. Specialiter autẽ, quod natus, quod passus, q; surrexit Christus, pene omne Psalmorum resonat organum. Sciendũ tamen, quod apud Hebræos omnes Psalmi permixti fuerunt & inordinati, quos quidem primus Esdras in uno uolumine coegit, & in ordinem numerumq; disposuit, ac per occultum sacramenti mysterium alios aliis prætulit ordine, dum posteriores uideantur in tempore. Nam secundũ historiæ cursum, tertius Psalmus, quinquagesimo posterior est, sed propter mysterium in ordine prior est. Sic enim habentur & cæteri, quia Spiritus eos præordinauit, ut uoluit.

Salomon tria uolumina edidit. Primus ex his, Prouerbiorũ liber est. Secundus, qui appellatur Ecclesiastes. Tertius, cuius titulus est, Cantica canticorum. In quibus quidem tribus libris, triũ generum disciplinas composuit, quibus ad rerum scientiam peruenitur. In primis nanq; Ethica, id est, moralis. Posthæc Philosophica, quæ qualitatem naturæ comprehendit. Ad ultimũ Theorica, id est, contemplatiua. In Prouerbiis enim moralia docens per communem quendam loquendi usum altiorem intelligentiã

edidit, conseruationemq; mandatorum, & doctrinæ cœlestis institutionem, succinctis uersibus, breuibusq; sententiis coaptauit. Sunt autem Prouerbia sub uerbis aliis res alias explicantia, quæ aliter q̃ dicuntur, intelliguntur, plus in uirtute sententiarum, quã in sono uerborum, quæ Græci Pharith uocant. Ecclesiaste uero rerum naturam discutiens, cuncta in mundo caduca & uana esse reprehendit, rerumq; omnium fragilitate perspecta, renunciari mundo monuit.

In Canticis autem Canticorum supergressus uisibilia, atq; contemplans ea quæ sunt cœlestia uel diuina. Sub specie sponsi & sponsæ, Christi Ecclesiæ, quæ unitatem declarat, atq; animum ad amorem cœlestium excitans, perueniendũ ad consortiũ Dei prouocat. Illud etiam non est obmittendum, quod à Doctoribus nostris traditur, apud Hebræos hanc fuisse obseruationẽ, ne cuiquã librum hunc legere permitterent, nisi uiro iam perfectæ scientiæ & roboratæ fidei, ne forte per imbecillitatem infantiæ, & fidei imperitiam, non tam erudiret cognitio lubricas mentes, quã m post ad concupiscentias corporales conuerteret. Omnis enim Scriptura, eorũ tradi pueris solita est. Quatuor tamen ista ad ultimũ reseruant, id est, principium Genesis de mundi creatione, Ezechielis quoq; principia, in quibus de Cherubin scripsit, & finẽ eius, in quo templi descriptio continetur, & Cantica Canticorum.

Liber Sapientiæ, qui uocatur Phanarethon, Christi aduentũ, qui est sapientia Dei patris, passionemq; eius aperta manifestatione denunciat.

Ecclesiasticus uero, morum pene omnium disciplinæ, & sanctæ religionis conuersationẽ affatim copioseq; describit. Dictus est autem Ecclesiasticus, pro eo, quod in medio cœtu populi corã Ecclesia fuerit habitus. Hic enim propter nimiam sensus similitudinem, & eloquii parilitatem, Salomonis titulo prænotatur. Constat autem hunc librum à Iesu filio Syrach editum fuisse, & inter reliquos sanctarũ Scripturarũ libros pari habitũ ueneratiõe.

Isaias Propheta, qui interpretatur, Salus Domini, hic postquã

de altari

de altari missus calculus, labia eius purgauit, dignus efficitur sancti Spiritus Prophetia. Speculaturq; duo Cherubin in ænigmate duorum testamentorũ, cum duodecim alis, id est, Apostolis, qui prædicatione sua totum mundum ueloci celeritate discurrunt, tegentes faciem & pedes sedentis in throno Dei, id est, occultantes ea, siue quæ ante seculi fuerunt exordia, siue quæ post transactam huius mundi figuram futura sunt. Hic tamen post uisionẽ Iudæ & Hierusalem, aduersus cæteras gentes, quæ in circuitu eius sunt, Prophetiæ conuertit sermonem, & iuxta qualitatem locorũ & uitæ diuersitatem, quæq; essent eis mala uentura, denũciat, & post captiuitatem Hierusalem, ruinam Babyloniæ comminatur, deinde necem Philistim, uastationem Moab, exterminium Damasci, Aegypti commotionem, & solitudinem maris deserti, obsidionem quoq; Edom, fugam & interitum Arabiæ, & excidiũ uallis Syon, subuersionem etiam Tyri, siue quadrupedum. Sed figuraliter in uisione Iudæ, Synagoga proiicitur, & Ecclesia Domino copulatur. In ruina Babyloniæ, confusio totius mundi, superbiaq; arguitur, & finis eiusq; uæ monstratur in uastitate, Moab errore scientiæ secularis, in silentium luctumq; mutatur. In euersione Aegypti, totius mundi idololatriæ destruuntur, Templiq; Domini ædificatio prædicatur. In contritione Philistim, luctus eorũ monstratur, qui abiiciunt iugum Christi, & eleuant se contra scientiam Dei. Porro per Damascum, prædicatio ostenditur gentium, & ruina populi Iudæorũ. Per onus maris deserti, huius seculi tentatio declaratur, & quæ illi uentura sunt, ostenduntur. Per Idumæam oritur sol iustitiæ gentium, & tenebræ ueniunt populo Iudæorum. Per Arabiam prædicatur aqua baptismatis præbenda his, qui fugerunt gentium errores, uel eorum blasphemias. Perditio prædicatur Hierusalem & hæreticorum, qui de sublimitate Ecclesiæ ceciderunt. Per Tyrum gentibus prædicatur, ut seculi errore deposito, ad Christum Dominum conuertantur. Reliqua uero eius, uel de Christo, uel de Ecclesia gentium sunt, siue de consummatione mundi. Prophetauit autem annis fere

septuaginta, sub regibus quatuor Iudæ, ordine atq; genere sibi met succedentibus, id est, Ozia, Ioathan, Achaz, ad ultimum Ezechia. Sub quo partes magnæ uoluminis eius, usq; ad calcem texitur Prophetia.

Hieremias Propheta excelsus Domini, simplex in loquendo, & ad intelligendum facilis, qui in omnibus dictis & passionibus suis, Redemptoris nostri imaginem prætulit. Hic postquàm in typo Christi, regna destruxit Diaboli, iustitiæq; & fidei ædificauit imperium, iubetur prophetare super omnes gentes, Aegyptum uidelicet & Palæstinos, Moab & Amon, Edom, Damascum & Cedar, & super regna Assur, necnon super Elam & Babylon. Inter hæc autem uidit uirgam uigilantem diuinæ correptionis & potestatis, ollam quoq; succensam, id est, Iudæam plebem igne carnalium desyderiorum ardentem. Aspicit & duos cophinos ficorum in præfiguratione duorum populorum. Descendit & in domum figuli, & uidit diminutionẽ uasis prioris, & noui instaurationem, ad designandum defectum prioris populi, & successionẽ futuri. Sumit etiam calicem supplicii, atq; uniuersis gentibus porrigit. Accepit & lumbare sub exemplo populi Iudæorum, quodq; putre factum, proiicit illud in dispersionẽ trans flumen gentium: ostendit & calicem aureum Babylonis, per quem inebriatus est mundus letifero hausto idololatriæ haustu. Iubetur proiicere in Eufraten uolumen lapidi alligatum, ad demonstrandũ interitum Babylonis, uel figuraliter totius mundi. Increpat etiam hic delinquentes, & ad conuersionem prouocat. Ad ultimum, plangit ruinam Hierusalem, templiq; excidium, & dispersionẽ gentis. Exortus est autẽ duodecimo anno regni Iosiæ regis Iuda, Prophetiaq; eius per quatuor reges extensa est, id est, sub Iosia, & Eliachim, & Ioachim, & Sedechia, sub quo euersa est Hierosolyma. Septuaginta duobus annis & tribus mensibus prophetauit, excepto illo tempore, in quo post euersam Hierusalem in Aegypto cum populo fuit.

Ezechiel quoq; in Latinum uertitur, fortitudo Dei, hic figu-

rans

rans tropice Christum, stat iuxta fluuium seculi, & præclara contuetur mysteria, cernit similitudinem gloriæ Dei, & quatuor animalia in similitudinem Euangeliorũ, & rotas se inuicem continentes, in typo Testamentorum: uidit & aurigam, id est, Christum, deorsum igne iuditii, sursum electis, id est, diuiniratis fulgore rutilantem. Comedit quoq; librũ diuinæ legis, in quo scriptum est lamentum pœnitentiũ, & carmen iustorum, & uæ eorum, qui post peccata pœnitentiam non egerunt. Dehinc accepit laterem, in quo obsessa Hierusalem pictura describitur, uel in quo sub typo Christi, eiusdem Hierusalem, id est, totius Ecclesiæ, quæ est e latere Christi formata, mysteria describũtur. Capit etiã hic Propheta somnum sinistri lateris, in typum mortis peccatorũ, qui ad leuam positi, æterna supplicia sustinebunt. Ac demum & sinistro, in dextro latere dormire iubetur, propter spem eorũ, qui per mutationẽ morum resurrectionis gloriam obtinebunt. Aspicit interea & duas uirgas sibimet copulantes, in similitudine circuncisionis & gentium. Siue aquilam sub Nabuchodonosor uel Antichristi figura, magnis alis, & uolucri celeritate totius mundi imperia occupantem plangit. Præterea sub specie principis Tyri, beatitudinem Diaboli, quam amisit, & ruinam eius magnã cum lamentatione deplorat. Ad ultimum, funiculum uel arundinem gestans, metitur sub specie sanctorũ mystice Hierusalem. Inter hæc mystice subiicit quædam moralia, falsis comminatur Prophetis, atq; speculatoribus præcipit, ne retineant malitiam. Quatuor etiam ultionũ pœnas peccatoribus prædicat. Animasq; redire ad corpora sua, prophetat. Ostendit quoq; unũquenq; pro se rationem Domino redditurum, nec in progeniem posse ultra defundi labem paterni delicti. Obiurgat inter hæc Sobollam & Olibam, omnem turpitudinẽ Samariæ & Hierusalem, natiuitatemq; obiecit contumeliosam. Sæpe etiam ad pœnitentiã captiuos prouocat populos, & post præuaricationem admonet redire conuersos, Hic autem trigesimo quinto ætatis suæ anno, & captiuitatis quinto, in Chaldæa exulans prophetauit, ibiq; uaticinium consumauit.

Daniel interpretatur iuditiũ Dei, qui etiam de Christo cunctorum manifestior est Prophetarum. Deniq; iste non solum uentu rum prædicauit, ut cæteri, sed etiã tempus incarnationis uel passionis, per ordinem Regum, uel numerũ diffiniuit annorũ, ita ut potius nõ uideatur futura pærdicare, sed quasi transacta narrare. Hic autem quatuor regnorũ cernit frequẽtius uisiones, eorumq; differẽtias sub diuersis imaginibus. De Antichristo quoq; ostendit, q; ipse sit cornu pusillum, id est, paruo tempore regnaturus. De cosummatione Hierusalem, uel mundi, plura scripsit, siue de die iuditii, & regno sanctorum. In fine autem uoluminis Prophetiæ suæ, Susannæ historiam, & Belis, Draconisq; fabulam ponit. Hic autem liber apud Hebræos non Hebraicis quidem literis, sed Chaldaica lingua scriptus est. Prophetauit in Babylone, quando & Ezechiel.

Ozeas Propheta, qui intelligitur saluans, in duodecim primus profundior reliquis in sententiis, & operosior intellectu. Iste ad eas tribus, quæ uocant Effraim & Samaria, domus Ioseph & Israhel loquitur. Sed per Effraim hæreticos arguit, qui recedẽtes qualicunq; ex caussa ab Ecclesiæ unitate, participes facti sunt idolorũ. Per Samariam autem, eorundem hæreticorũ demonstrat figurã, qui præceptorũ custodes se esse mentiũtur, & sub prætextu ueritatis mendaciũ colunt. Historialiter, Iudæos in Christum ultimo tempore crediturosꝰ, pronunciauit. Tertium quoq; resurrectionis Dominicæ diem prædixit. Prophetauit autem in diebus Oziæ Regis Iuda, siue Hieroboam Regis Israhel, quando & Esaias.

Iohel Propheta, qui interpretatur incipiens, iste ad Iudam tantum & Hierusalem uaticinium proferens, in principio sui uoluminis, post uoluptuosa cõuiuia, ad luctum prouocat Hierusalem, excidium pronunciat. Prædicat quoq; uocationem gentium, & super congregatos credentes superuenturum Spiritum sanctum. Prophetauit sub Ioachim rege Iuda, quando & Micheas.

Amos, qui interpretatur bonus, uaticinauit in Samaria & Hierusalem. Tria & quatuor scelera gentiũ sub totius mundi figura

describens

describens. Primum itaq; scelus, quia omnes in Adam peccauerunt. Secundum, quia in se naturalem legem, immemores rationne, non intellexerunt. Tertium quoq; eorum, qui datæ legi non obedierunt. Quartum inexpiabile eorum, qui in Christo non crediderũt. Pro quibus sceleribus intonat Dominus ignem, id est sententiam æterni iuditii illaturum. Hic autem aduentum Christi sub Dominica uoce ita prædicat: Ego firmans tonitruum, & creans spiritum, & annuncians hominibus Christum suum. Reliqua uero, quæ de Amosia, siue Hieroboã, siue Israhel loquitur, tropologice ad hæreticos referenda sunt. Prophetauit autem sub Ozia, eo tempore, quo Oseas uel Esaias.

Abdias, id est, seruus Domini, inter omnes Prophetas breuior numero uerborum, sed gratia mysteriorum æqualis. Iste contra Idumæam eloquens, increpans mystice superbiã Edom, prioris uidelicet populi audatiam, q̃ Iacob fratrem suum, id est, Christum occiderit in monte Syon, qui est Hierusalem futura, Saluatorem & sanctum, qui est Christus Dominus, annunciat, atq; in monte Esau, per quẽ figuratur Ecclesia gentiũ futurarũ, intonat Dño regnũ. Prophetauit sub Iosia Rege Iuda, quando Micheas.

Ionas, qui interpretat columba, tam sermone q̃ naufragio suo, passionem Christi, mortemq; eius uel resurrectionẽ figurat. Siue quod de naui in mare, tanquã de cruce in terram proiectus est, siue q̃ in uentre Ceti exceptus, tanquã in sepultura terræ tribus diebus ac noctibus reconditus est: uel q̃ in figura Niniue, pœnitentiam mundo prædixerit. In sequentibus autem typum gerit Iudæorum, qui salutem gentium non tantum aduenire noluerũt, sed dum uenit, inuidi sunt. Niniue quoq; gentium significat speciem, Ionas in hoc loco, Iudæorum. Nam quemadmodum Niniuitarum salus ad æmulationẽ prouocauit Ionam, ita redemptio gentiũ scandalũ fecit Iudæorũ. Merito & contra orientẽ ciuitatis sedisse legitur, sub umbra Hæderæ, quia eadẽ plebs separans se à salute Ecclesiæ, dolore auida contra Christum, id est, orientem Ecclesiæ, linguã suam mouere nititur, sedens sub umbra Legis.

Quæ umbra ferme arefacta est, quia adueniente Christo uetera transierũt, & ecce facta sunt omnia noua. Prophetauit autem sub Ozia rege Iuda, quando Ozeas & Amos & Esaias prophetarunt.

Micheas Propheta comminatur Samariæ iram Domini, ob caussam simulachrorum: interitumq; populorum Israhel uentu rum denunciat, locum etiam, in quo Christus nasceretur, demon strat. Prophetauit sub Iosia, quando & Sophonias.

Naum, qui est consolatio, simulachra gentium exterminanda pronunciat, necnon & urbem sanguinũ Hierusalem, post cuius interitum, pedes annunciantis pacem, id est, Saluatoris aduentum proclamat.

Abacuc, amplexãs siue luctator fortis, in principio uoluminis sui describit Diabolũ cum membris ac moribus suis. In fine uero pronunciat aduentum passionemq; Saluatoris.

Sophonias, speculator mysteriorum Dei, & abscondens, canit captiuitatem urbis Hierusalem, & Romanis futuram, per uocem clamoris à porta piscium, & per collium contritionẽ, id est, mon tis Syon, qui est collis Hierusalem, necnon & aliarum gentium euersionẽ prædicat, terroremq; diuini iuditii intonat. Loquitur etiam contra Moab & Amon. Sed per ipsos tanquã finitum, populi Dei, & proximi Catholicis sacramentis hæretici arguuntur. Hic tertium diem resurrectionis Christi prophetat, atq; aduentũ Christi, totum orbem sub uno iugo, Domino seruiturũ annunciat mundum. Prophetauit aũt sub Iosia, quando & Hieremias.

Aggæus, qui interpretatur solennis, hic in uaticinii sui textu templum Domini restaurandum præcepit, contritionem prædicat gentium, uel commotionẽ totius mundi prædicit, ac sub figu ra Zorobabel, Christi aduentũ. Septuagesimo autem anno capti uitatis populi, prophetauit duobus tantum mensibus, Zachariam uaticinio suo præcedens.

Zacharias, qui nominatur memoria Domini, postquã Deũ in patribus prophetauit, uidit & uirum sedentem super equum ru fum, in figura corporis Christi roseum sanguinem passionis siue

merita,

merita gentium populum significantia. Aspicit & cornua quatuor, siue fabros, in figura gentium, quæ Iudam & Israhel dispergentes, graui pondere depresserunt. Intuetur similiter & Iesum, sordibus carnis & mortalitate uestitum, quibus ablatis, indutum immortalitate & gloria. Cernit & lapidem, qui est Christus, septẽ habentem oculos, id est, septiformis Spiritus plenitudinẽ. Inter hæc intuetur turrim & titionem extinctũ, id est, Diabolum. Candelabrũ uidelicet in figura Christi, cum lucernis septẽ, quæ sunt Ecclesiæ, necnon & duas oliuas ad dextram & ad sinistrã candelabri, duorum Testamentorũ typum significantes. Assumit quoq; idem duas uirgas funiculi & decoris, in typo Iudæorꝝ & gentium. Aspicit deinde duas mulieres, id est, hæreticorũ plebs, siue Iudæorum, in alis suis leuantes amphoram, id est, Diabolicam doctrinam: massaq; plumbi, quod est pondus peccati grauissimũ: siue uolumen uolans, in quo peccata hominũ & supplicia describuntur. Vidit & quadrigas quatuor, uno prædicationis Euangelicæ iugo currentes. Post hæc aspicit equos missos ad prædicationem mundi. Primo rufum, prædicationem martyrii. Secundo nigrum, squalorẽ pœnitentiæ. Tertio album, candorem baptismatis. Cernit quoq; & tubas, sanctorũ gestantes figuram, per quas Dominus mundo canit, atq; Angeli. In quo duo ex aduerso populi iunguntur. Siue paxillum, figuraliter Christum infixum in cordibus populorum. Describit nanq; & pastorem Antichristũ, opus & intentionem in sinistris habentem. Equum quoq; in figura plebis hæreticorꝝ, & ascensorem Diabolum. Prædicat etiam fontem in domo uiri Dauid, patentẽ in lauacro regenerationis. Alia quæcunq; scribit, aut de aduentu Domini, aut de passione eius, uel de seculi fine, siue de iuditio futuro. Prophetauit autem anno secundo Darii regis Medorum, his temporibus, quibus & Aggæus, anno lxx. desolationis templi, & captiuitatis populi.

Malachias, qui interpretatur Angelus Domini, in principio uaticinii sui demonstrat Iudæorum in Esau dilectionem, mino-

ris populi in Iacob. In sequentibus autem ueteres Iudæ uictimas reprobat, & sacrificium transferri annunciat. In finem uero aduentum Domini, diem quoq; iuditii, iustorumq; pra mia, & impiorum pœnas. Iohannem etiam prædicat ante primum aduentũ Domini missum, & Heliam ante secundum aduentum annunciat esse mittendũ. Inter hæc nonnulla moralia, & disciplinis congruentia explicat, in quibus corripit populum siue sacerdotes despicientes nomen Dei, atq; eius sacramẽta, pollutis oblationibus & sacrificiis uiolantes. Præmonet etiã Episcopos doctos, & sine macula esse debere, & cætera sine personarũ acceptione populum ueritatem instruere. Discordes quoq; arguit. Decimas & primitias reddendas Apostolis, Ecclesiæ præcepit. Obiurgat & eos, qui coniuges suas despiciunt, & aliarum amore nectuntur. Similiter & illos, qui miseriam suam dolentes, fœlicitatem laudant eorum, qui huius mundi prosperis perfruũtur. Prophetauit nouissimus in Babylone, Aggæus & Zacharias.

Esdras scripsit, populum Dei expleto captiuitatis tempore, imperante Cyro rege Persarum, in Hierusalem fuisse reuersum, ac sub Zorobabel, & Iehu filio Iosedech sacerdote magno, siue Neemia, muros Hierusalem, templum & altare renouatũ, ius quoq; sacerdotum restitutum, & sanctæ religionis cultum, multisq; opibus gentium, principumq; Persarum muneribus perornatum.

Machabæorum libri duo, licet non habeantur in Canone Hebræorum, tamen ab Ecclesia inter diuinorũ uoluminum annumerantur historias, prænotant autem prælia inter Hebræorum duces, gentesq; Persarum, pugnamq; sabbatorũ, & nobiles Machabæi triumphos, fœdus quoq; amicitiarum cum Romanorũ ducibus, factaq; legatione.

Præfatio

PRAEFATIO LIBRORVM NOVI TESTAMENTI.

EVANGELIORVM prædicatio quãuis quadrifaria sit, una est tamẽ, quia ex uno eodemq; ore diuinitatis processit. Hæc sunt enim quatuor flumina, de uno fonte Paradisi manantia, quæ quadruplici unione decurrunt, ac per totum mundum cœlestis prædicationis ministrantis fluenta gratiæ & fideī uirorem infundunt. Hæc est illa in Zacharia quadriga Domini, in qua per omnem orbem euectus, leui iugo colla sibi cunctarum gentium subiicit. Hi sunt enim & quos sub quatuor animalium specie uisio prophetalis scribit, id est, hominis, leonis, uituli & aquilæ. Nam qui primus ut homo ordinem humanæ natiuitatis designat. Secundus, ad instar leonis rugienis, statim in principio suæ diuinæ potestatis fortitudinem intonat. Tertius, uictimam sacerdotis præmittens, quasi uitulum, mortem insinuat. Quartus, more aquilæ aspectans cœlũ, terram auidus transuolat, atq; natiuitatẽ Verbi occulta mysterii intelligẽtia penetrat. Sed & hæc tria illa animalia, quæ in terra gradiunt, actualẽ uitam sequendo, ea tantũmodo prosecuti sunt, quæ homo Christus Iesus in terris temporaliter gessit. Quartũ animal contẽplationis acie cœlestia inspicit, & paulatim operũ plurima diuinitatis sacramẽta gessit. Ex his primus & ultimus ea prædicauerunt, quæ ex ore Christi audierunt, uel quæ ab illo facta uel gesta uiderunt. Reliqui medii duo, ea tantummodo, quæ ab Apostolis cognouerunt. Quorum quidem Matthæus Euangelium in Iudæa primus scripsit. Deinde Marcus in Italia. Lucas in Achaia. Vltimus Iohannes in Asia. Ex quibus solus tantum Matthæus prædicationis suæ historiam Hebraico perstrinxit stylo, reliqui uero Græci sermonis eloquio ediderunt.

Epistolas Paulus Apostolus quatuordecim prædicationis suæ

perstrinxit stylo, ex quibus aliquas propter typum septiformis Ecclesiæ, septem scripsit Ecclesiis, conseruans potius, non excedens numerum sacramenti, propter septiformem Spiritus efficatiam. Scripsit autem ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Tessalonicenses, ad Colossenses, ad Hebræos. Reliquas uero postmodum singularibus edidit personis, ut rursum illum septenarium numerum ad sacramentum unitatis conuerteret. Argumenta autem earundem Epistolarum hæc sunt. In primis Romanæ plebis fidem collaudat. Corinthios gemina doctrina castigat. Apud Galatas per gratiam fidei excludit opera Legis. Ephesios magnificat in fide quam acceperunt. Laudat Colossenses pro eo, quod in fide steterunt. Philippenses Euangelium custodisse gratulatur. Tessalonicenses in prima Epistola fide creuisse & operibus. In secunda, persecutiones tolerasse, fortiter gloriatur. Instruit quoq; per Timotheum & Titum Ecclesias. Philemonem de emendato seruo Onesimo. Rogat ultimo Hebræos, qui in Christo crediderunt & postmodum persecutionibus Iudaicis torti, à fide recesserunt, confortat, & ad gratiam Euangelii reuocat.

Petrus scripsit duas Epistolas, quæ Canonicæ nominantur. Scripsit autem eas his, qui ex circuncisione credentes, in dispersionem gentium erant. Quæ quidem uidentur quibusdam esse planiores, dum tam profundis repletæ sunt sensibus, ut per eas, qui possunt perscrutari diuinæ scientiæ sensum, quasi per breue quoddam receptaculũ, magna sibi mysteria reuelare contueant.

Iacobus frater Domini scripsit unam Epistolam, ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem, cuius sententiæ immensam scientiam, claritatem, legentibus uidentur infundere.

Iohannes Apostolus tres scripsit Epistolas, quarum prima offi

cium

cium charitatis commendans; tota in amore Dei & fraterna dilectione uersatur. Secunda quoq; quæ electis scribitur, dilectionis hortatur officium, denotat etiam seductores, & ab hæreticis ammonet declinandum. Tertiam autem Gaio scripsit, in qua collaudat eum in studio ueritatis, & opere misericordiæ. Deinde denotat proteruiam cuiusdam Cliotrepi, & de Demetrio perhibet testimonium ueritatis.

Iudæ Epistola increpat blasphemantes in Christo, & quosdam impudicos, sub exemplo impiorum, qui per superbiam & luxuriam sempiternis ardoribus traditi sunt, pro quibus ammonet Ecclesiam, ut eos arguat, & ad pœnitentiam cohortetur.

Actuum Apostolorũ historia, nascentis Ecclesiæ fidem opusq; describit, cuius quidem scriptor Lucas Euangelista monstratur. Continet autem quæ in Iudæa, uel gentibus, per gratiam sancti Spiritus, tam à Petro, q̃ omnibus Apostolis operata uel gesta sunt.

In Apocalypsi, Iohannes, postquàm scribere septem iubetur Ecclesiis, aspicit filium hominis sedentem in throno, & uiginti quatuor seniores, & quatuor animalia procidentia ante thronũ, in dextera quoq; tenentis librum septem sigillis signatũ, in quo bellum & ægestas, mors, clamor interfectorum, finis quoq; mundi notatur. Scribit deinde duodecim milia seruorum Dei, qui signantur in frontibus. Ibi septem Angeli tubis canunt, sequente grandine & igne cum sanguine in terram. Tertia quoq; pars terræ ibi comburitur, & tertia pars maris sanguis efficitur, astraq; ipsa rutilantia tertiã partem fulgoris amittunt. Ibi de putei fumo locustæ producuntur, dæmoniorum accipientes potestatem lædendi, qui nõ sunt agni corpore sanati. Præterea comedit Euangelista librum Testamenti, oris prædicatione suauissimũ, & operit difficultate amarum. Metiturq; cœleste templum, descripsitq;

uerba uigintiquatuor seniorum,& Arcam Testamenti, ac mulierem amictã sole, pugnamq; Michaelis cum Dracone, ruinamq; Draconis. Conspicit præterea & Antichristi figuram, habentem capita regni septem,& cornua potestatis, & mysterium nominis narrat. Inter hæc & canticum Testamenti nouum, speculaturq; Angelos gestantes phialas. Cernitq; similiter interitum bestiæ, uel beatitudinem eorum, qui uestimenta sui corporis absq; macula, hoc est, absq; carnis uoluptate seruauerũt. Exequitur denique interitum meretricis Babyloniæ,& nuptias agni, & aduentum iuditii, & interitum Antichristi, uel sempiternam punitionem Diaboli. Ad ultimum memorat resurrectionem mortuorum, cœliq; nouitatẽ & terræ, descriptionemq; Hierusalem, flumen etiam baptismi, mundum lignum uitæ, per Dominum nostrum Iesum Christum, cui est honor, gloria,& imperium, in secula seculorum, AMEN.

FINIS.

Hagãuoæ, ex Officina Iohannis Secerij
Anno Domini M. D. XXIX.
Mense Martio.

Esaias	Addo	Paulus
Heremias	Azarias	Andreas
Ezechiel	Helias	Iacobus
Danihel	Heliseus	Iohannes
Oseas	Zacharias	Philippus
Iohel	Thobias	Thomas
Amos	Tres pueri	Bartholomæus
Abdias	Esdras	Matthæus
Ionas	Zorobabel	Iacobus Alphæi
Naum	Hester	Iudas Iacobi
Abacuc	Iudith	Matthias
Sophonias	Machabæi	Symon Zelotes
Aggæus	Zacharias	Lucas Euangelista
Zacharias	Elizabeth	Marcus Euangelista
Malachias	Iohannes	Barnabas
Nathan	Maria	Timotheus
Achias	Simon Petrus	Titus.

I

ADam protoplastus, & colonus Paradisi, princeps generis & dilectus, ad imaginé Dei factus, uniuersitati prælatus, qui creaturæ nomina dedit, atq; in eis potestatē dominandi accepit. Hic in delitiis florētis paradisi cōstitutus, inter redolentes aromatū syluas, ac uernātia floribus arua, rudis habitator, nouæ uitæ gaudia peragebat. Vbi tellus fœcundatur perpetuo uirore, ubi fons decurrens quadrifluo labitur. Sed postquā m serpentis dolo, lingua pollutus fœminea, per tactum ligni, loci beatitudinē prophanauit, paradiso proiectus, in terram sentibus squalentē, operarius gemens incoluit. Amissaq; immortalitate, in puluerem, (unde carnis sumpserat ortum, post cursum annorum nongentorum triginta) rediit. Hinc iam posteritas in crimine huius parentis, exul est paradisi facta, ac labori, mortiq; subacta ingemuit. Sepultus est autem in loco Arbe, qui locus nomen à numero sumpsit, hoc est, quatuor, pro eo quod tres Patriarchæ ibidem

sint

ſint ſepulti, & hic quartus Adam. Hic eſt Ebron Metropolis, urbis Allophylorũ, in qua fertur quondam fuiſſe habitatio Gigantũ, ubi etiã & Dauid poſtea unctus eſt in regno. Eſt autem ciuitas fortis Iudæ in ſacerdotibus ſeparata, diſtans ad auſtralem plagam milibus xxii · procul ab Hieruſalem.

II.

ABel filius Adam, & paſtor ouiũ, in uita innocens, in morte patiens, poſt mortem non ſilens. In martyrio primus, in obedientia ſummus, in ſacrificiis Deo placens. In meritis fratri diſplicens, quem Cayn impius, & fratricida nouus, ira ſtimulante inuidiæ innocuum, ferro mundum, ſanguine immaculatũ proſtrauit. Cum adhuc innocens ferrum, cruoris humani facinus non haberet.

III.

ENoch filius Iareth, ſeptimus ab Adam, placens Deo, malorum neſcius, mortis ignarus: qui ſceleratorum hominum non ferens anguſtias, à perniciosis contractibus mundi ſubtractus, meruit in eum locum transferri, unde fuerat protoplaſtus excluſus, ſcilicet, in æqualem habitationẽ beatæ uitæ. Sublatus eſt autẽ annorũ ccclxv. Manet autẽ hactenus in corpore, in conſummatione mundi reſtituet cũ Helia mortalẽ uitæ conditionẽ.

IIII.

NOe filius Lamech, decimus ab Adam, ſecundus reſtaurator orbis, atq; reparator iuſtitiæ inſignis, longanimis in ſpe, Sapiens, in opere iuſtus, Arcam condidit, admonitus introiuit, nec corruit turbulenti diluuii fluctibus, nec fragores uentorum, uel murmura cœli expauit: geſtatur per procellas, nec mergitur. Serpentibus ſociatur & beſtiis, nec terretur. Cui feræ colla ſubmittunt, alites famulantur: nanq; auem miſit, redeuntem ſuſtinuit: ſed perfida fraude corui decipitur. Merito columbæ geſtantis ore ramum paciferum edocetur. Reſeratiſq; foribus Arcæ beſtias & cuncta animantia per ſeptẽ dies abire permittit, ipſe poſt modum egreſſus cum liberis, Deum collaudat, electus uictimas